2/d
1878
45202/B
F. XIII. c
18

61.D.14
29131.

payne 4/1/1"

DE
TABE GLANDULARI,
SIVE
DE USU AQUÆ MARINÆ
IN
MORBIS GLANDULARUM
DISSERTATIO.

Auctore RICARDO RUSSELL, M. D.

Θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά.
Mare abluit omnia hominum mala.
Euripides Iphigen. in Taur. V. 1193.



E THEATRO SHELDONIANO,
Proſtant venales apud JACOBUM FLETCHER, *Oxon.* & J. & J. RIVINGTON, *Lond.* MDCCL.

29131

Imprimatur,

J. PURNELL,

Vice-Can. Oxon.

Jul. 4. 1749.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

NOBILISSIMO

AC

ILLUSTRISSIMO VIRO

THOMÆ HOLLES

DUCI DE NEW-CASTLE

&c.

QUUM Tu, Vir Illuſtriſſime, non ita multis abhinc Annis, & Nobiliſſimus Dux de Richmond, Tuique vel præcipuè Honoratiſſimus Frater Henricus Pelham, *Scaccarii* Cancellarius; omnes ſedulo à me quæreretis, ut, ſi quam de interno *Aquæ Marinæ* Uſu vel Notitiam, vel Experientiam, Animo comprehendiſſem, illam, qualiſcunque ea demum eſſet, literis mandarem; recordaris fortaſſe me nec multa eo Tempore de hiſce Rebus locutum fuiſſe, nec Sermonem maximæ

Homi-

Hominum Frequentiæ, quæ tunc aderat, parum accomodatum, protraxiſſe. Verùm quando hæc jam, quæ ſuper eâ Re comperta habeo, Tuo potiſſimùm Nomini inſcribuntur, facilè perſpicere poteris quantum apud Amicos Tuos non Auctoritas modò Tua, verùm etiam Voluntas valeat.

Sed hoc tamen quale quale ſit Opus, quod, uti *Rhaſis* illa de Variolis prima Diſſertatio, ab illuſtrium Virorum Hortatu & Conſiliis profectum eſt, illud Tu certè, VIR Nobiliſſime, qui Voce Tuâ Me tanquam ex Otio & Umbrâ in Lucem & Pulverem excitaſti, à me prope Jure Tuo poſtulare debes. Namque illa Animi mei Propenſio atque Obſervantia, quâ profectò cum Ardore & Deſiderio quodam feror ad illud perficiendum, quod Amicis meis, & Tibi vel in primis, VIR Illuſtriſſime, gratum ſit jucundumque; Eadem mihi ſanè perſuaſit, ut quoad longiſſimè Mens mea reſpicere

ſpicere poſſet, inde uſque ſanatos aliquot ab *Aquâ Marinâ* Ægrotos repeterem, unáque etiam Remedia cætera, quæcunque Subſidium aliquod tuliſſent, diſperſa hactenus, in unum quaſi Corpus compingerem.

Hinc, rude quoddam naſcentis Operis Specimen, & tanquam imperfecti Commentarioli nobis exciderunt: quæ cum in Manus tandem Medicorum Illuſtriſſimorum, nec improbata, perveniſſent, & cum multis ſummorum Hominum Hortationibus, ut Prælo ſubjicerentur, ad me fuiſſent relata; hanc nihilominus medendi novam Viam peritorum Medicorum Experientiâ, non minùs quàm meâ, priùs arbitratus ſum confirmari oportere, quàm inſtantibus Amicorum Precibus auſcultarem. Verùm ubi in eâ quoque Parte, quæ Experientiâ conſtat, mecum illos ſentire viderem, incœptum Opus quouſque mihi, vel per Ingenii Tenuitatem, vel per quotidianas medendi Occupationes,

cupationes, licuit, recudi, eâque quâ nunc eſt Formâ donatum *Oxonienſibus* tranſmiſi.

Perſpicies, VIR Nobiliſſime, & quidem facillimè, Rem, de quâ nunc agimus, nec levem eſſe, neque nugatoriam, ſed dignam omnino Principis Viri atque optimi Civis Tutelâ & Patrocinio; utpote quæ non ad univerſam modò Valetudinem Populi conſervandam ſpectet, verùm etiam Morbi hactenus Medicis intractabilis Curationem complectatur, & tanquam novos quoſdam integroſque medendi Fontes recludat. Hâc enim Medelâ nondum perſpectâ atque intellectâ, non erat unde Miſeris aliquâ ex Parte, vel minima Spes illuceſcere potuit; niſi ſiqui fortè Regis Tactui confidebant: quam tamen Spem Noſtri jam piè atque ſapienter Reges abſciderunt. Mare autem, cujus Imperium tenent, quodque felici Tractu tum Litora *Britanniæ* circumluit, tum per Alveos hinc inde

inde plurimos ſeſe altiùs inſinuat, efficaciſſimum iſthoc Morbo laborantibus Remedium à Naturâ datum arbitror.

Sed Tempus Tuum, VIR Honoratiſſime, quod Publico Commodo deſtinas, diutius non morabor. Interim ſperare mihi liceat fore, ut Studium Laboreſque, quos huic Rei perveſtigandæ impenderim, non minùs Tibi grati acceptique, quàm Ægrotantibus futuri ſint ſalutares. Atque haud alio quidem Fundamine ut hæc innitantur, aut ſpero, aut velim. Sed hoc certè vellem in primis, ut æquo hæc Animo accipias, Monumenta Pectoris grati memoriſque Amicitiæ, quam perhonorificè jam olim detuliſti Medico Tuo,

Dignitatis Tuæ

Cultori Obſequentiſſimo,

RICARDO RUSSELL.

PRÆFATIO.

LECTORI. S.

AMICE lector, in ſequenti opuſculo ægrorum aliquot hiſtorias, quibus marina aqua mederi potuit, tibi pervolvendas trado; quibuſque etiam ea modis viiſque contra glandularum morbos pugnare videatur, pro modulo meo illuſtrare conatus ſum. Cætera autem, quæ ad accuratiſſimam hujuſce rei notitiam perveſtigandam ſpectant, (& in tam illuſtri medicamento ſunt ea, ut mihi videtur, ferè innumera) omnia poſterorum experimentis elicienda relinquo. Veruntamen pauca, quæ vel mihi vel aliis obſervata ſunt de ipſius aquæ marinæ naturâ, diverſiſque quibus conflatur, & conſtituitur, ſive partibus, ſive qualitatibus, ea quidem in ipſo limine operis proferre, non alienum videtur: quippe quia exinde forſan conjecturam facere poteris, quidnam ab ipſius ſubſidio recta jubeat expectare ratio.

Cum autem experimentis præcipuè ingenioſis, & ſubtilibus ſanè, doctiſſimorum virorum, Haleſii, Boerhavii, Sepii, Marſilini, Guidoti, aliorumque,

que, *in hiſce rebus inveſtigandis adjutus fuerim, in principio gratias, quas ipſis debeo, lubens refero; palamque profiteor, eorum obſervationes mihi in hâc parte multum contuliſſe. De reliquis, iniquus eſſem & ingratus, ſi abſque debitâ commemoratione præterirem eruditiſſimos amicos meos,* R. FREWIN, M. LEE, E. WILMOT, *&* W. LEWIS, *medicos noſtræ gentis cum maximè illuſtriſſimos, quorum hortatu, conſiliis, & auxiliis, hoc opus aggreſſus ſum, & perfeci; recenſente, antequam prælo ſubjiceretur, amico meo humaniſſimo* JER. MARKLAND, *&, ſiquando de linguâ dubitabam, exempla ſuggerente. Sed ad propoſitum.*

Aqua igitur per ſe inſipida eſt, atque inodora; oculoque inſperſa dolorem nullum excitat; ſed & lævis eſt, flexiliſque; & nervis nullatenus officere poteſt: adeoque ſalium omnium quaſi commune quoddam eſt menſtruum, & à naturâ ad eos diſſolvendos aptari videtur. Quamvis enim marinus ſal chryſtalli formam pyramidalem obtineat, ſal gemmæ cubicam, nitri priſmaticam, vitrioli, aluminiſque alias quaſdam formas habeat; tamen eos aqua, quatenus eorum particulas ſolvit, omnes communi quodam recipit menſtruo. Inde & corporum particulis ſaponaceis, gummoſiſque accipiendis tam inſigniter idonea eſt; & agente in eam ſolis calore, præcipuum fit in omnibus extractionibus chemicis, tam

à na-

à naturâ, quàm ab arte factis, inſtrumentum. Marina autem aqua ſale præcipuè abundat: quod vel illi compertum habent, qui in ſale conficiendo ad eam craſſitiem ebullire muriam ſinunt, ovum cui ſupernatet.

Ea igitur aquarum congeries, quam mare *nominamus, totum terrarum orbem circumfertur; plantaſque ſubmarinas, ſales, piſces, mineralia, atque omnia denique, quæ inter oppoſita comprehenduntur littora, neceſſariò perluit: ideoque & horum corporum particulas quaſdam vel elidit, vel eorum tranſpiratione emiſſas cohibens, inde ſaturatur, & ditatur. Namque eorum particulæ exiguæ, ſubtileſque, perpetuò per exſpirationem emiſſæ, & in aerem ſuperiorem evadere conantes, interpoſito mari impediuntur, cumque eo commiſcentur. Sales verò, & maximè, ſuas conferunt partes, aquamque, quæ alioquin fœteret, perpetuò ditant, & à putredine vindicant. Atque inde fluidum hocce ſapone magis ſaturatur, & majorem ſibi unctuoſitatem adſciſcit quàm fontana aqua. Præter hæc, corporum exſpirationes quædam ſulphureæ univerſam ipſius congeriem pervadunt.*

Atque hæc quidem omnia videntur conjunctim fluidum hoc conſtituere, quod nos mare *appellamus; quodque ſapientiſſimus rerum omnium auctor eò deſtinaſſe*

ſtinaſſe videtur, ut ſit contra corporum corruptelam putredinemque quaſi commune quoddam præſidium. Ideoque in plagis illis, ubi vehementior ſolis calor eſt, atque ita corrumpendis fluidis aptior, mare præcipuè ſalſum fit; prout obſervant ii, qui ſub æquatore navigant. Sed ea aquarum mira congeries per ſalium &c. opem à putredine conſervata, variis modis, variiſque muneribus, Dei optimi maximi voluntatem, & conſilium exſequitur. Sol enim aquam dulcem à ſalsâ ſeparans, ſurſumque leviter attrahens, unà etiam particulas plurimas ſulphureas, nitroſaſque facit aſcendere; quæ quidem per aerem circumactæ, & per terrarum, mariſque immenſa ſpatia raptæ, varios, quod probabile eſt, aeris ſtatus, mutationeſque efficiunt. Quum verò munera ſua in aere deſtinata obierint, vel roris tepidi, vel pluviæ, vel grandinis, niviſque ſpecie decidunt; terras irrigant; piſcibus, animalibuſque omnibus humorem ſuppeditant; fonteſque hominum uſui deſtinatos puriſſimo flumine exaugent: unde, quicquid redundat, in fluvios immittitur, retroque in mare, communem eorum omnium matrem, fertur. Atque ita rerum conſervari videtur ordo.

His præmiſſis videamus, quid naturæ ſagaciſſimi inveſtigatores, quid medici, quid chemici, de maris aquâ notaverint; & quoſnam ei characteres præcipuè adſignaverint. Ii autem ſunt numero quatuor.

tuor. Primus eſt, ſapor ſalſus: *ſecundus*, amaritudo: *tertius*, nitroſitas: *quartus*, unctuoſitas.

Quod ad primum, tam evidenter apparet ut neminem latere poſſit. Cl. autem Haleſius *ſupputat ſalis eſſe uncias quinque & dimidiam in marinæ aquæ congio. Itaque marinæ aquæ libra una ſalis drachmas quinque & dimidiam ferè continet, præter illud bitumen amarum, oleoſum, & alia quæ ipſam conſtituunt: & ea ferè doſis in adultis ſufficit alvo ter, quaterve acriter ducendæ. Videtur autem ſal iſte, ut à chemicis notatum eſt, ex acido quodam peculiari, atque alchali minerali conſtare. Sed profectò portio acida ab illâ alterâ adeo irretitur, impediturque, ut in formâ concretâ vires ſuas vix exerere poſſit. Et à naturâ ſal adeo fixus eſt, ut putredini non cedat: unde & alia quoque corpora tam inſigniter à putredine defendit. Spiritus autem ſalis, auctore* Haleſio, *putredinem adeo reprimit, ut ſpiritûs ejus guttæ tres, in aquæ unciam unam inditæ, carnem à putredine diu conſervent. Et in alio experimento, ſe bovinam carnem crudam marinæ aquæ malè deſtillatæ ingeſſiſſe ait, cujus vis reſtringens tanta fuit, ut, contractis mirè ſanguinis vaſculis, non ullus inde efflueret cruor.*

Character alter eſt, amaritudo; *quam à telluris partibus bituminoſis, quæ ſubter ſunt, cenſetur adſci-*

adſciviſſe. Probabile enim eſt, exhalationes ſulphureas per innumera ſpiracula ab ignibus ſubterraneis expelli, aquamque maris ſaturare; perinde ut ſulphuris fumus vina pervadit. Idque magis probabile videtur, quòd marina aqua eò amarior eſt, quò haurias profundiùs. Illud autem bitumen ſulphureum tam copioſè in deſtillatione aſcendit, ut auctore Marſilino, *potari nequeat aqua marina deſtillata ob bituminis copiam, quæ guſtum magis quàm ſapor ſalſus lædit. Illius autem, inquit, bituminis tanta copia reperitur, tum in mari mediterraneo, tum in Thracio, & præcipuè tranquillo, tum in maribus, quæ orientales Indos alluunt; ut nonnunquam aquarum ſuperficiei innatans appareat: illudque partim à venis carbonariis, partim à petroleo quodam (quod in variis terræ partibus invenitur) provenire putat. Idem deſtillavit carbones aliquot terreſtres, & ſpiritûs carbonum oleoſi volatilis grana quadraginta, indita fontanæ aquæ libris duabus æquè ac marina aqua ſalſis, marinæ aquæ, quæ eſt in ſuperficie, amaritudinem æmulari; & grana quinquaginta profundioris aquæ amaritudinem æquare, compertum habuit. Et hæ quidem particulæ bituminoſæ, ſulphureæ, ſalinas fortaſſè in diſſolvendis tumoribus non parum adjuvant. Medicis enim ſemper viſum eſt, bitumen eſſe medicamentum reſolutivum, ſalem volatilem, ſulphur, & terræ paululum in ſe continens.* "Omnia autem bituminoſa

corpora

corpora vim calefaciendi, & diſcutiendi habent, unde ad diſſipandos humores frigidos in paralyticis, epilepticis, ſimileſque affectus, thermæ, fonteſque medicati, qui bitumen & ſulphur ferunt, utiliter adhibentur." Vid. Epitom. Phyſicæ Sennert. p. 52.

Igitur ex ſupra poſitis putandum eſt, marinæ aquæ amaritudinem à ſpiritu quodam oleoſo, volatili, quo inſigniter ſaturatur, provenire: cujus tamen qualitates ab effectibus ſolummodo dignoſcendæ ſunt.

Tertius character eſt, nitroſitas. Haleſius *ab experimentis quibuſdam à ſeipſo factis, comperit ſalem illum amarum, cujus in marinâ aquâ tanta copia eſt, partim eſſe nitroſum; nec mirum putat, quod ſal ille nitroſus in ſale amaro, & bitumine maris oleoſo, conformetur. Idem etiam exiſtimat, ſalem illum amarum in plantis, animalibuſque abundare; colligitque, marinæ aquæ ineſſe non tantùm perfectum ſalem marinum, ſed & ſalem amarum quoque imperfectum, bitumenque quoddam ſulphureum. Et ex eo quidem bitumine ſulphureo, ſubtile illud ſulphur, quo aer, ros, pluviæque &c. abundant, per calorem ſolis extractum eſſe cenſet: unde & terræ fructus in vegetatione adjuvantur. Animadverſum quoque invenio, marinam aquam non tam facilè flammam reſtinguere quam aqua fontana, ſeu*

dulcis. Idque eò fieri phyſicis viſum eſt, quòd in marinâ aquâ particulæ nitroſæ abundant. Nitrum autem ex materiâ oleoſâ, ſalinâ, volatili conſtat. His etiam illud addi poteſt, marinam aquam particulis plurimis bituminoſis, ſulphureiſque abundare; modò verum ſit quod affirmant, non facilè ignem reſtinguere; ideoque "lucernæ melius ardent ſale injecto." *Macrob. Saturnal.* l. 7. *Unde* Plutarchus *etiam initio libelli* naturalium quæſtionum, *proverbium ab antiquis uſurpatum citat,* "aquam marinam in flammas ne injicias;" *propter ejus* unctuoſitatem, *ut ibidem ſcribit.*

Ultimus enim ejus character eſt, unctuoſitas. *Namque præter cætera obſervat* Marſilinus, *eſſe unctuoſitatem, ſive qualitatem ſaponaceam in marinâ aquâ deſtillatâ; cujus libræ duæ minus, inquit, ſalis quàm eadem fontanæ aquæ portio drachmæ dimidio diſſolvunt; quamvis utrique eadem ſit gravitas ſpecifica: idque unctuoſitati ejus attribuit. Quin & veteres quoque eam ſalis, ſive pinguedinem, ſive unctuoſitatem animadverterunt.* "Eſt etiam in ſale pinguetudo, quod miremur." *Plin.* l. 31. cap. 7. ----- *Et affirmat* P. Bourzes *ſe ipſum obſervaſſe in nonnullis oceani partibus marinæ aquæ unctuoſitatem adeo inſignem eſſe, ut ſi linteum mari immergas, viſcidum redeat: & ubi lucidior erat poſt navem ſulcus, ibi aqua pinguior, & viſcidior erat; linteum-*

que

que manu celeri motum lucem magnam effudit. Vid. vol. 9. lettres des R. P. miſſionaires. *Edit. Pariſ. octavo.*

Et ea profecto ſive viſcoſitas, ſive unctuoſitas adeo evidens eſt, ut Haleſius *quidem repetitis deſtillationibus, accuratiſſimiſque, compererit marinam aquam licet ſale orbatam, materiam quandam viſcidam nihilominus retinere, quæ vaſis lateribus adhæreat, ſi conturbetur aqua; ſi tranquilla maneat, imum petat. Eadem autem in fontanâ aquâ deſtillatâ non reperitur. Itemque ex ſale ejus ea unctuoſitas apparet. Nam ſi ſal communis puriſſimus in aere humido liquetur, deponet* terram *ſuam cum liquore quodam unctuoſo, acri, auſtero.*

Sed ad curationes omnes ab aquis medicinalibus effectas, ſales abſque dubio multum conferunt. In aquâ Bathonienſi *reperiuntur, ut* Guidoti *experimenta docent: & magnam copiam ſalis cujuſdam albidi, amarique, in aquis* Pyrmontanis, Sepius *invenit.*

Hæ omnes, & aliæ etiam, quæ in marinâ aquâ lucidiſſimè apparent qualitates, magnas haud immeritò ſpes in animis noſtris excitare poſſunt, fore aliquando, ut ex hâc quoque naturæ parte, eximium aliquod rei medicæ *incrementum accedat. --- Vale.*

DE

TABE GLANDULARI,

SIVE

De Usu AQUÆ MARINÆ

IN

MORBIS GLANDULARUM

DISSERTATIO.

TABES, quæ noſtram inſulam atrociter infeſtat, & vel præcipuè fatigare medicos ſolet, à diutinis plerumque fluxionibus in glandulas trachæarum, pulmonis, aliarumque partium internarum, provenit. Iſque morbus non rarò eò proceſſit, ante accerſitum à medico auxilium, ut jam ne artis quidem medicæ poteſtati ſubjiciatur. Non enim à medico ſperari æquum eſt, à ruptionibus vaſcula tutari, nec fluidorum texturam ſanam atque integram conſervari poſſe, cum jam ſunt diſrupta vaſcula, & ſæpe eroſa, non ſine diminutione, vel injuriâ partis alicujus nobilis, quam ad vitam continuandam natura poſtulat, quamque neſcit ars reſtituere; cumque etiam jam turbata eſt, atque vitiata fluidorum textura, à pure in ſanguinem

nem reſorpto, communique flumine unà circumacto.

At cum eò res rediit, non curatio quidem, ut mihi videtur, ſed nova potius, & prodigioſa quædam amiſſarum partium reſtitutio poſtulanda eſt. Atque inde fit, ut is morbus communi quodam conſenſu lethalis habeatur: nimirum quia ſedem ſuam, ante incœptam curationem, plerumque nimis intimè occupaverit. Ideoque requirenti mihi illuſtris cujuſdam medici opinionem de amico quodam mihi chariſſimo, reſponſum eſt, *tabe eum glandulari laborare, cui ſemper omnes ſuccubuerunt, & fore ſemper ut ſuccumberent.* Quod in his verum eſt, quibus vel meſenterii, vel pulmonis, vel quibus aliæ glandulæ internæ retento pure implentur, & vitiantur.

Quæ cum ita ſint, haud ingratum fore popularibus meis ſtudium meum ſpero, ſi per aquæ marinæ ſubſidia, internarum glandularum malis poſſim ſuccurrere, periculoſiſſimoque morbo in principiis opportunè medelam providere; & pulmonem, illud ſummi momenti viſcus, ab apoſtematum injuriâ eripere. Dixi autem in *principiis,* quoniam, ſi pus motum fuerit, ab illo remedio nihil ſperandum eſt. Quod animadvertendum cenſeo, quia ſæpe fit, ut poſt tentatam infeliciter curationem, quæ artis tamen medicæ vim omnem ſuperat, injuriâ culpetur medicamentum,

tum, & tanquam inutile nullâque dignum laude rejiciatur; atque ita vel ea quoque, quæ poteſt efficere, ſibi immerito vindicaſſe putetur. Et illud eſt omnium novorum medicamentorum quaſi commune infortunium. Nam & ipſe quoſdam ægros vidi ab aquâ marinâ opem quærentes, cum jam & in externis, interniſque glandulis, pus motum fuit.

At quæ tandem ab his, quæ medicâ arte effici nequeunt, laus medicamento futura eſt; vel potius, quodnam non fore dedecus probabile eſt? In illis enim, quos à glandulis externis pus emittentibus confectos tabe vidi; quorumque corpora mihi poſt mortem inſpicere contigit, non quidem ullos animadverti, quibus meſenterii glandulæ integræ remanſerint: imò contra, plerumque apoſtematibus inficiebantur. Ad hæc, bronchiæ, pulmoniſque glandulæ tam univerſâ puris labe conſpergebantur, ut quocunque ductum erat ſcalpellum, inciderentur glandulæ purulentæ, quæ, priuſquam aperiebantur, corpuſculis quibuſdam graniformibus, pure repletis, ſimiles viſæ ſunt; nec miliares quidem glandulas, in ſue morbilloſâ repertas, malè referebant. Hujus rei exemplum, in corpore ſuillo à me inſpecto, ſubjeci. *Vid. tab. prim.*

Tabula,

Tabula, lobos pulmonum, jecoriſque in ſue, inſolito more morbidos, exhibet.

Fig. 1. Aſperæ arteriæ pars.

Fig. 2. 2. Lobi pulmonum tuberculis maturatis valde conſperſi.

Fig. 3. Cor cum diaphragmatis portione.


Fig. 4. 4. Hepar refertum infinitis ferè tumoribus, partim pure, partim aquâ diſtenſis.

Cum non aliàs, in eodem ſubjecto, glandularum caſum tam univerſim morbidarum, tum in pulmone, tum in hepate, viderim, dignum eum putavi, qui & in æs incideretur. Et quidem morbi glandularum frequentiores ſunt, & ad majorem ἀκμὴν procedunt in his, quàm in pleriſque aliis animalibus. Quocirca populi orientales, quantum fieri poteſt, carnem porcorum evitant; & quia præ cæteris iſta regio videtur, lepris, fœditatibus cutis, & quidem omnibus morbis glandularum, eſſe obnoxia; idcirco, opinor, præclarus ille Judæorum legiſlator non tantùm frequentes ablutiones, ſed abſtinentiam quoque à carne porcinâ juſſit.

Jam autem hi tumores interni glandularum iiſdem mutationibus patent, quibus & externi: ergo iiſdem etiam legibus neceſſariò reſtringendi ſunt. Et proinde, in alio tumoris ſtatu alia eveniunt indicia. Sed innumeras illas, quæ vulgò affe-

p. 16.

TAB. I.



afferuntur, diſtinctiones ab hoc opere removendas eſſe cenſui; quoniam & in varia, & ineptula, & ſubobſcura genera diduci ſolent; ideoque non tam lectori lucem ullam afferunt, quàm in minutulas quaſdam diſceptationes abripiunt. Itaque cum hujus inſtituti ſit, curandi rationem præcipuè expedire, atque illuſtrare, dicam tantùm hos tumores à *Paulo Ægineta* appellari *glandulas induratas*: ab *Ætio* verò *carnes ſubcandidas, facilè augeſcentes, in membranâ contentas, & in glandulâ ſummâ induratas*, quæ in collo &c. oriuntur. Atque hæ mihi videntur deſcriptiones adeo accuratæ, & perfectæ, ut non aliis opus ſit.

Jam pleroſque etiam auctores invenio cauſas quaſdam abditas avidiſſimè amplectentes, ex quibus ſcilicet, quaſi ex principiis, morbos eſſe volunt: ſed & has ſubmovendas eſſe cenſui; quia & dubiæ plerumque ſunt, & reconditæ, & diſputationum contentionibus opportunæ. Itaque duas tantùm obſervationes ſubjiciam, quæ fortaſſe in rebus hiſce illuſtrandis utiles eſſe poſſint. Prima eſt, quòd pueri rachitide affecti, iique, quos à cunis imbecillitas corporis infeſtavit, & quos nutricis culpa, infirmi laxique habitûs fecit, huic morbo maximè ſunt obnoxii. Altera eſt, quòd remedia illa omnia, quæ veteres in his caſibus commoda eſſe judicaverunt, ad corrigendas aciditates in primis viis, & dulcem chylum pa-

 randum,

randum, quem & ſanguis reciperet, ſpectabant.

Quòd verò morbum hunc ſæpe nutricis culpa, ſæpe parentum amor nimius faciat, nemini, puto, dubium eſſe poteſt. Nam quoties in ipſis cunis futuræ tabis jactum ſit fundamentum, vix dici poteſt. In eo enim tempore, cum paulatim tempeſtatum variationibus aſſuefacere infantulum oporteret, atque illud etiam natura videatur poſtulare; veſtimentis tum eum quaſi obrutum invenies, ſudoribus fractum, cubiculi calore debilitatum, & mammis diutiùs quàm par eſt adhærentem. Interim viſcera infantuli lacte acri atque inſuavi perpetuò vexantur: proinde eveniunt dejectiones virides, acidæ, & admodum crebræ: donec nonnunquam, neglectâ curatione, convulſiones, atque epilepſia ſymptomatica ſubſequantur. Cum eò res redierit, nutrix in tantis anguſtiis ſollicita, vel ſyrupum papaveris albi, vel fortius quoddam adhibere ſolet, ut infantulo, & ſibi quoque, tranquillitatem paret.

Jam autem in his infantulis illud haud obſcurum indicium eſt ſubiti, ſive tranſitûs, ſive mutationis morbi, ab uno genere glandularum ad aliud genus; quòd, evaneſcentibus illis evacuationibus, quas glandulæ poſt aures ſitæ ſubminiſtrant, infantes plerumque in tormina modo memorata incidere ſolent, ſubſequente diarrhæâ leviuſculâ; quam ſi *diaſcordio*, ſive alio quovis medicamento,

dicamento, reprimas, vel ad cutim tranſit morbus, vel renovatur evacuatio per glandulas, quæ poſt aures ſunt, vel per inguina, vel per aliqua ex emunctoriis largioribus.

Sed ad pernicioſam nutricum conſuetudinem revertendum eſt. Itaque dum per opiata (nimis diu continuata) ſopitur infantulus, fit injuria perpetua chylificationi: corporis habitus, quem natura fortaſſe firmum robuſtumque eſſe voluit, hâc ratione laxior fit atque imbecillior: fit ſanguis ſeroſus, pallidus, & morbidus: glandularum magnitudo, quas ad humectandos articulos natura deſtinavit, quotidie increſcit: augentur oſſium capita. Deinde glandulæ meſenterii, thoracis, collique, obſtruuntur: & tandem pulmonis quoque glandulæ communi vitio corrumpuntur.

Et in his omnibus malis, licet ea, quæ redundant, ſive per catameniorum in fœminis opem, ſive aliis viis in maribus educantur, dum fert juventutis vigor; tamen in annis provectioribus, nimirum poſt ætatis annum quadrageſſimum quintum, vel quocunque tempore hæc deficiunt ſubſidia; tum glandulæ priùs vitiatæ, atque laxatæ, novis obſtructionibus impediuntur, ad inflammatorios morbos inclinant, ſuppurant; & proinde ægri, niſi ſupprimatur maturatio, pthiſi purulentæ ſuccumbunt. Namque ubi pus ſemel

glandulis inſederit, chirurgi manus, non medica poſtulatur ars.


Vidi olim generoſum quendam poſt paroxyſmum, ut ille cenſebat, febris intermittentis; contra quam corticem peruvianum ſumſerat. Sed quia fervorem quendam hecticum, pulſumque celerem eſſe animadverti, rigores eos eſſe ſymptomaticos, & in jecinore pus motum à febre, judicavi: nam & oculi colore ſubflavo ſuffundebantur. Ægro halitus erat plenus, pinguiuſculus; nec ante illud tempus unquam atroci quovis morbo laboraverat; proinde expertis medicamentis omnibus, quæ febriculis fugandis idonea ſunt, ut *Londinum* iret ſuaſi; profectus inde, *Bathoniam* ſe contulit; unde iterum *Londinum* rediit; & rus demum reverſus, hydropi purulento ſuccubuit. Poſt mortem in parte jecinoris gibboſâ abſceſſum ingentem invenimus; glandulaſque quaſdam alias diſruptas, quæ & puris, lymphæque aliquantulum in abdomen emiſerunt. At pulmo, quamvis & illic jam tum incipiebat obſtructio, cruda tantummodo quædam tubercula, ſine ullo pure, oculis noſtris offerebat.

Jam hoc puto facilè evincet, quòd glandulæ alias aliæ vitiare ſoleant & ad ſtatum maturationis, lentis progreſſibus, non præcipiti curſu, accedant.

Vidi etiam tumorem largum, cui adhærebat con-

p. 21.

TAB. II.



congeries quædam glandularum morbidarum, ſcirrhoſarum. Diſtendebatur tumor materiâ quâdam furfuraceâ, uncias octo pondere æquante. Glandulæ capſula craſſitiem referebat membranæ illius, quæ in ſtomacho gallorum numidicorum, aliorumve volucrum granivororum reperitur. Diſrupta erat, lymphamque, quæ à lymphaticis effluebat, perpetuò per foramen exiguum infra papillam emiſit; & nulla quidem per annos triginta octo mali ominis ſymptomata innotuerant. Quamvis autem glandulæ illæ, quæ humori adhærebant, in perfectiſſimum ſcirrhum proceſſerant, tamen ſublatâ tenſione per materiæ ſupra deſcriptæ emiſſionem, tumor ſine dolore fuit, nullaque per illud omne tempus ſuppuratio in tumoribus adventitiis oriebatur. *Vide tabulam ſecundam, quæ tumoris cyſtici partem æqualiter diſſectam, cum glandulis ſcirroſis exhibet.*

Nec verò minùs ex præmiſſis perſpicuum eſt, ut mihi videtur, in his morbis prædictis, ubi motum fuerit ante inceptam curationem pus, nec *Bathonienſem*, nec *aquam marinam*, nec aliud quodvis medicamentum, permagno eſſe commodo poſſe. Sed in his tamen non ubique culpanda eſt ægri negligentia, quòd tardiùs medicinæ auxilium petierit. Sæpe enim pus latet intus in tuberculo inopinato, nec quidquam mali ſuſpicans æger opprimitur.

Sed

Sed jam conſiderandæ ſunt glandulæ morbidæ: in quo, ſuffecerit huic noſtro inſtituto, glandularum morbidarum ideam generalem ſubjicere. Morbos igitur glandularum morbidarum cenſeo ferè oriri à quibuſdam obſtructionibus, quæ proveniunt à fluxione aliquâ copioſiùs in glandulas influente, quàm ut per earum tubulos tranſmitti poſſit. Proinde intumeſcunt glandulæ, earum capſulæ diſtenduntur, atque increſcenti tumori paulatim cedunt, donec rumpuntur vaſcula, movetur pus; aut è tunicatis tumoribus vel ſteatoma, vel atheroma, vel meliceris, vel aliquid ejuſmodi oritur.

Veterum autem remedia illa ſupra memorata, ægrorumque illorum habitus laxus, imbecilliſque, duas animo ſuggerunt obſervationes. Unam, quòd adhibitis illis medicamentis, quæ contra humores acres pugnant, aciditateſque in tubulo alimentario collectas corrigunt, dulcior protinus, ſaniorque ſeparetur chylus; reprimantur in viſceribus flatulentiæ; & proinde jecur, lien, pancreas, glandulæque meſentericæ minùs ſint obſtructionibus obnoxiæ. Alteram, quòd marinâ aquâ, adjectâ aliorum remediorum ope, feliciter purgari glandulæ poſſint, atque ab obſtructionibus liberari: poſt quæ, per maris balneum frigidum corporis univerſum habitum firmare, & contra novas fluxiones præmunire, oportebit.

Hacte-

Hactenus de naturâ tantummodo glandulæ morbidæ dictum eſt. Jam ad diverſos ejuſdem ſtatus tranſeundum; è quibus *recens* in glandulam *fluxio* primùm omnium conſideranda eſt: dein ſtatus *augmentationis*: tum *inflammatorius* ſtatus; denique morbi *terminatio*, vel à diſſipatione tumoris, vel à pure, vel ſcirrho, vel cancro. Cum verò in eo præcipuus noſter eſſe labor debeat, ut rationem curandi taliter affectos indicemus, à glandularum trachæalium, & pulmonarium affectu morbido incipiendum eſſe videtur.

Glandulæ igitur cervicis concatenatæ, quæ uno quaſi vinculo ab auribus claviculas uſque continuantur, ferè pro ratione longitudinis vaſorum colli dependent, quas ubi tumefactas, cum tonſillis quoque plus æquo largis, videris, tum internas etiam meſenterii, pulmoniſque glandulas recenti fluxione affectas eſſe ſuſpicandum eſt. At quamdiu nulla accedit febris, aperientia, cum aquâ marinâ, detracto priùs ſanguine, proſunt. Atque hæc, licet primo aggreſſu glandulas in ſtatu augmentationis eſſe deprehendas, tamen nihilominus obſervanda ſunt. Namque ut glandularum diſtenſiones, ita earundem quoque repreſſiones, non niſi gradatim fiunt: adeoque concedendum eſt temporis quantùm ſufficiat, non modò ad detergendos, purgandoſque tubulos obſtructos,

ſed ad parandum quoque magis ſecurum aptumque magis exitum; per quem humores, creandis obſtructionibus idonei, expelli poſſint.

Illud utique opus ratione quàm maximè facili, lenique efficiendum eſt atque ideo nullâ de cauſâ mercurialium vehementes, pernicioſoſque ſtimulos adhibere oportet. Nihil enim in glandulis obſtructis magis nocere ſolet, quàm ſubita, & magnâ vi impulſa effluxio humorum, quæ ad affectam partem per largas doſes mercurii dulcis allicitur; quod utique remedium ſi detur unquam, cautè, parciſque doſibus tantùm adhibendum eſt, & ſubinde aquâ marinâ depurgari oportet.

Secretiones autem omnes glandulares, in ſtatu ſano, lentè, & ſine moleſtiâ effici ſolent: ergo medicamenta omnia, quæ generis ſunt cauſtici, partes ſenſiles ſtimulant, vulnerantque; dolorem movent: novam fluxionem humorum adducunt, tumoremque augent. Proinde vel tuberculum vel glandula morboſa, quæ forſan alioquin feliciter ſanari potuerit, ſi ad inflammatorium ſtatum acceleretur, ſuppurat, atque ejus curatio longè fit difficilior. Contra autem æger marinæ aquæ ſtimulum per ſex menſes, idque quidem citra moleſtiam feret. In cutis utique gravi morbo per annum integrum ſatis commodè ſumtam vidi.

His

His verò rebus eò acriùs inſiſto, quoniam plures ægros animadverti, quibus mercurii dulcis nimis largæ doſes nocuerunt; cum vel illud fortaſſe medicamentum, ſiquidem parcè, & cum marinâ aquâ conjunctim datum, prodeſſe potuiſſet. Sed marina aqua vel multis morbis, ubi nihil valet mercurii dulcis uſus, mederi conſuevit. Et hæc quidem mihi in animum reducunt ægri cujuſdam caſum, quem circiter annum 1731 D. *Johnſon* medico, & D. *Craddock* chirurgo, commonſtravi.

Æger leprâ ſcorbuticâ totus quaſi inducebatur: rejectis veſtimentis ferè omnibus, togâ tantùm coopertus jacuit: corporis pars ferè omnis excoriabatur. Salivationem bis ſub inſpectione D. *Tanner* Londinenſis ſine commodo ſubierat. Sed vel gravis ille morbus cutaneus marinæ aquæ ceſſit. Cætera, quæ miſerum infeſtabant, mala, prout augurari facilè licuiſſet, parum ſublevata remanſerunt.

Alius etiam æger eodem morbo, ſed non ita puto atrociter, afflictus, à noſocomio *Divi Thomæ* Londinenſis ad me venit: atque is etiam ſalivationem paſſus fuerat, fruſtra. Namque rediit hecticus, emaciatus; & eruptiones cuticulares poſt ſalivationem magis rancidæ, magiſque humidæ erant. Primò lac eryngiatum, carnemque viperarum ſumſit; unde calor hecticus remiſit: & tan-

dem per marinæ aquæ uſum cutis morbus evanuit. --- Et quidem ubi multâ exaſperatur morbus acrimoniâ, & medicamenta mineralia habitui malè conveniunt, tunc utique aqua, lacque aſininum optimè contra ſcorbutum pugnant.

Hactenus de tumoribus in *fluxionis*, atque *augmentationis* ſtatu, dictum eſt. Jam ad *inflammatorii* ſtatûs conſiderationem tranſeamus. Is autem eſt, ubi morbo febris quoque accedit; & tum quidem tumores inter veras phlegmonas numerandi ſunt; eâdemque ratione tractari debent.

Jam autem ubi fluxio, quovis principio, in glandulas trachæales, pulmonareſque ſupervenit, illæ utique fiunt morbidæ, & tumeſcunt perinde atque externæ. Deinde à ſtimulo fluxionis febris incurſat. Tuſſis oritur dura, atque arida; facies, oculique, rubore ſuffunduntur; tuſſientem capitis dolor lancinans infeſtat. At ii tuſſiendi conatus ſunt naturæ crebri niſus ad diſrumpendas glandulas morbidas, atque expellendam tumoris cauſam abditam, ut pars tumefacta diminui eo modo, & ad ſanitatis ſtatum priſtinum reſtitui poſſit. In his verò caſibus, marinâ aquâ videtur mihi nimis irritari morbus. Nam cura vel præcipua debet adhiberi, ne pus moveatur, quod non ſine ſummâ unquam difficultate rejicitur a pulmone; quippe quia textura ejus laxa eſt, adeoque puri retinendo idonea. Crebris autem tuſ-

ſiendi

ſiendi conatibus rumpuntur vaſcula delicata & tenera: ſubſequitur hæmoptoe: dein largiores excitantur abſceſſus, & per hecticam febrem purulentam exit morbus.

Sed in hoc caſu novæ ſubveniunt intentiones curativæ. Namque detrahendus eſt ſanguis, debitis intervallis, donec ſive gelatina, ſive illa ſanguinis cruſta inſtar ſevi liquati, evanuerit; quæ quamvis ſub primam venæſectionem non appareat, tamen inciſâ bis, terve venâ, vix unquam latere ſolet. Tum ſanè purgantia è mannâ, caſſiâ, cremore tartari, tartaro vitriolato, vel ſimilia, adhibenda ſunt. Æger emulſionibus è nitro refrigerandus: bibenda aqua; atque à carne, vino, & omni cereviſiâ, abſtinendum eſt. Hâc quidem ratione ſigna plerumque inflammatoria decedunt; tuſſis, capitiſque dolor ægrum urgere deſinunt; tumores ſubſidunt: & quamvis non omnino diſſipantur, tamen, perinde atque externæ glandulæ cum in eodem ſunt ſtatu, ſine dolore ſunt: nec permagnum quidem incommodum ægris affeerunt. Sin verò hæc vel negligatur ratio, vel parciùs, vel tardiùs adhibeatur; tum in glandulis movetur pus, & æger, ut ſupra dictum eſt, à febre hecticâ tollitur.

Licet verò in his caſibus multas glandulas rumpi, & pus ejici cernamus; non tamen metu exterrendus eſt ægri animus, ſed potius injicien-

da ſpes, ut pulmonem commodis medicamentis, nitro aeris, atque equitatione, purgari poſſe putet. Namque imminutâ fibrarum rigiditate, ſive quòd inflammatio per evacuationes tollitur; ſive quòd partes affectæ onus, quo premebantur, expulerint; tum utique tonus laxior fit, magiſque ipſæ proprio muco protegi, & muniri ſolent: ideoque jam tum tutior eſt geſtatio. Subinde mutatio locorum præſcribi debet; protegendum os, nareſque ab ingenti aeris frigore; & per velamen aliquod, dum partes teneræ, imbecillæque ſunt, tranſpirandum eſt. Nam, ut videtur celeberrimo profeſſori Boerhavio, *fortis equitatio adverſo vento, & frigido, ſynanchen* vel *pleuritin frequenter protulit*. Illa autem geſtatio prætectо ore *Cælio Aureliano* maximè placet, eamque prodeſſe putat; nimirum donec partes imbecillæ proprio muco defendi poſſint.

Ergo, quod vel ex ſupradictis evidens eſt, in ſtatu inflammatorio glandularum pulmonarium, tum corporis, tum animi quies ex toto obſervanda eſt; donec venæſectione, lenitivis, & medicamentis nitroſis, vaſculorum tenſio relaxetur, & ab extravaſationis periculo fluida liberentur. Nam in illo tenſionis ſtatu cordis contractiones crebræ nimis ſunt; arteriæ irritantur, ſanguiſque nimis violenter circumagitur. Inde creſcit inflammatio, impulſo magnâ vi ſanguine in tubulos obſtructos

ſtructos, qui nec ferre impetum ejus valent, nec tranſitum in ſtatu obſtructionis dare poſſunt. Itaque neceſſariò augetur tenſio vaſculorum, &c, niſi admoveatur auxilium, extravaſatio ſubſecutura eſt. Ergo omnis, quantum fieri poteſt, irritatio vitari debet; ut glandularum vaſcula ſana atque integra conſervemus; quippe ex eâ re curatio ægri tota pendet.

Interdum etiam capſula glandulæ incraſſeſcit, & pus tanquam cyſti validâ retinet, unde diu erumpere nequit. Verùm in eo morbi ſtatu, nec marina aqua, nec quodvis aliud medicamentum proderit; ſed chirurgicam artem jam tum curatio deſiderabit.

Illud autem, quod & verum eſt, iniquus eſſem ſi non in laudem marinæ aquæ ſubjicerem: nimirum, quòd paucos tumores glandularum morbidarum mihi vidiſſe contigit, quos, ſi nondum pus motum fuerit, ab eo liberos ſervare, & deinde diſſipare non potui. Quin & glandulas etiam, per ſecretionum glandularium debitam tractationem, priſtinam tum formam, tum magnitudinem, reſtituere conſuevi.

Jam igitur in ſtatu glandulæ inflammatorio, medicamenta omnia tum aloetica, tum reſinoſa, tum mineralia ſummopere vitanda ſunt: quorum uſum, vel imperitum, vel minus cautum, mala ſumma, periculaque non levis momenti conſequun-

ſequuntur. Quod utique perſpicuum erit ex iis quæ infra in ſectione de marinâ aquâ contra colicas biliosas ponenda ſunt. Hæc verò cavebant antiqui medici. Non enim priùs vel præcipere emetica vehementia, vel fortia cathartica ſolebant, quàm ſuppreſſa fuerat fibrarum criſpitudo. Igitur ante uſum hellebori putabant humidandum eſſe corpus, relaxandumque balneis tepidis, regimine diluente, & refrigerante; exercitatione, carne, vinoque abſtinendum. Et quidem per totum ſtatum inflammatorium, ubi ſuppurationis timor vel exiguus incidebat, aut cautiſſimè remedia ejuſmodi adhibere, aut ea ex toto rejicere ſolebant. Et ea quidem veterum praxis inde deducta fuit, quòd ſuppurationes plerumque illam curandi rationem ſubſequi animadverterant: quam etiam rem videtur *Geſnerus* confirmare. Cum enim peſtis *Tiguri* graſſabatur, ipſe, ut ait, obſervabat helleborum acceleraſſe maturationem bubonum peſtilentialium.

Igitur in primis ſtatûs inflammatorii diebus, à catharticis fortioribus abſtinere conſueverunt; id eſt, donec vaſcula ſublevarentur, & vel venæſectione, vel ſudoribus, vel aliis auxiliis à magno tenſionis metu liberarentur; quam catharſeos ſtimulus alioquin excitare poteſt. Ergo, ubi adhibetur catharſis, non ad expellendum hunc, vel illum præcipuè ſanguinis humorem prævalentem, ſed

ſed ad imminuendam plenitudinem, & expellenda ea, quæ in primis viis redundant, tonumque ſolidorum onerant nimis, & quaſi opprimunt; ibi ferè hæc perpetua habenda eſt ratio, quæ per lenitiva optimè procedit.

Atque ea ſufficiant de glandulâ in ſtatu *inflammatorio*. Protinus ad morbi *terminationem* animos intendamus: & primùm, ad *terminationem à diſſipatione*, (quæ unica terminatio nobis optanda eſt) quo tempore febris jam remiſit. Itaque tum & cordis vehemens agitatio ſopitur, & arteriarum crebræ contractiones reprimuntur: fluida magis attenuantur & proinde circulatione commodiora fiunt: & obſtructæ priùs glandulæ ad officia, ex parte, ſua renovantur, deinde perfectiſſima ſequitur quies: vaſcula integra ſervantur: eorumque fluida communi circulationis lege comprehenduntur: tonus autem ſolidorum, a præteritâ fluxione relaxatus, imbecilluſque, manet, & quamvis glandularum tumefactarum magnitudo diminuitur, tamen adhuc etiam tument aliquantulum, ſed ſine dolore ſunt, ea autem quies tam diu manet, quàm nulla recens fluxio ſuperveniat: namque eâ ſemel ortâ, protinus diſtenduntur iterum glandulæ.

Inde autem fit, quòd ab ægris pleriſque dicti ſint tumores ineunte quovis menſe increſcere atque indoleſcere; nec raró tumoris tum augmentationem,

tationem, tum diminutionem modò maris æſtubus, modò lunæ imperio, ſubjici putant; quum tamen ſub id tempus partes imbecillæ tantummodo plenitudine quâdam periodicâ onerantur; quæ deinde naturæ viribus expellitur: ſcilicet quemadmodum menſtruorum eruptione relevatur fœmina. Eo autem tempore non tumores ſolùm, ſed & mammæ quoque, & univerſum glandularum ſyſtema ob eandem cauſam diſtenduntur.

Jam in eo diſſipationis ſtatu, quo cervicis glandulæ molliores fiunt, atque internæ glandulæ à præteritâ fluxione relaxatæ, atque imbecillæ manent, feliciter marinæ aquæ uſum præcipere ſoleo: ejuſque auxiliis adjungo plantarum ſubmarinarum cineres, ſalem ammoniacum, Æthiopem mineralem, antimonium, os ſepiæ, pumicem uſtum, corallium, corallinum, ſpongiam uſtam, vel ejuſmodi medicamenta: quæ vel ab antiquorum medicorum fontibus hauſi; vel uſu proprio utilia eſſe inveni. Quicquid autem auxilii ab externis applicationibus petere ſoleo, illud utique omne, vel ubi ad curandi rationem explicandam, vel ubi ad hiſtorias ægrorum enarrandas perventum ſit, recenſebo. Interim illud obſervandum eſt, curationem quamlibet terminare oportere balneo maris frigido: quod ubi non inſtituitur feſtinantiùs quàm commodum eſt, (nimirum

mirum antequam interno marinæ aquæ uſu glandulæ emolliantur) perfectæ curationi maximè conducit.

Et jam poſtremum omnium, ne recidat in morbum æger, prout antiqui medici nuces gallæ, & ejuſmodi ſtyptica medicamentis ſuis ingerebant; ita & ipſe quoque corticem peruvianum balneo maris frigido conjungere ſoleo: & vel præcipuè poſt morbos glandularum ciliarium, quum crebræ oculos opthalmiæ infeſtaverint. Sed tum oculi quoque omni mane lavandi ſunt aquâ marinâ frigidâ.

Jam & illum tumoris ſtatum, ſive *diſſipationis* (quæ *prima* erat ſpecies *terminationis* morbi) ſive ubi glandula, ſuis *ex parte* officiis, ſanitatique reſtituitur, nullâ accedente vaſculorum rupturâ, percurrimus. Cum verò tumorum hoc omne genus in *ſcirrho* (quæ *tertia* erat ſpecies *terminationis* morbi; nam de *ſecundâ*, quæ erat a *pure*; & antea egeramus, & infra agemus) nonnunquam terminari ſolet, priùs definiendum eſſe videtur, quid per ſcirrhum intelligo.

Scirrhus igitur mecum ſonat is tumoris ſtatus, ubi à quâvis cauſâ, partes diutiùs cohæſerint, & proinde tam ſtrictè ſe conjungunt, atque indureſcunt, ut nec disjungi unquam, nec ad officia ſua, priſtinamque integritatem reſtitui, nec cordis arteriarumque vi ullâ, vaſcula earum inter-

cluſa aperiri poſſint: ſed eouſque durities increſcit ſæpe, ut tumores, in caſibus ſeverioribus quibuſdam, tanquam lapidei ſint. Et talem quidem *verum*, ſive *perfectum* appello *ſcirrhum:* atque is nec marinâ aquâ, nec alio quovis modo, præterquam manu, curari poteſt. Leviores autem (ſi fas eſt ita appellare) *ſcirrhoſitates*, ad unum omnes, ſi peritè tractentur ſecretiones glandulares, non extra ſpem poſitæ ſunt, nam & earum plures hâc ratione curavi, quæ adeo ad perfecti ſcirrhi ſimilitudinem accedebant, ut curationis quidem ſpem parvam oſtenderent. Et tamen curatus æger eſt, feliciterque omnia ceſſerunt.

Enimvero hi quoque ſcirrhi ſæpe in *cancros* procedere conſueverunt: nimirum ubi durities eo increverit, ut non ulla per univerſum tumorem circulatio continuari poſſit; & ſubinde vaſcula alicubi perrumpuntur; cum jam ichore livido, & cutis colorem inficiente, aliquantiſper diſtenſa fuerint: unde tumorem rupturum eſſe, ſive medico, ſive chirurgo, rectè præſagiendi datur occaſio. Hi utique *cancri* colore ſunt livido, velut ecchymoſis quædam: vel potiùs, uti mihi videtur, ſimiles ſunt bullis illis lymphaticis, lividis, quæ in corporis partibus, jam ſphacelo incipiente, oriri ſolent.

At ubi, diſruptis vaſculis, diu ichor ille extra circulationis leges remanſerit, & magnam ſibi acquiſiverit

quiſiverit acrimoniam, (quod cito fluidis animalium omnibus extravaſatis contingit) tunc utique ab aliâ ad aliam glandulam ſubrepit ejus acrimoniæ contagio: & paulatim proinde vel univerſum glandularum ſyſtema cancri vitio corrumpitur. Ea verò acrimonia adeo eſt virulenta, ut quibuſdam ſcriptoribus arſenici naturam participare viſa ſit: inde, ut opinor, quòd tantas eſcharas unius noctis ſpatio inducere ſoleat. In eo profectò ſtatu irritato, marinæ aquæ uſus nimis mihi videtur ſtimulare. Sed illud nondum ſatis compertum habeo.

Et jam glandularum morbidarum *quatuor* illos diverſos ſtatus tractavi; fidemque meam in hâc parte liberavi. Ex præmiſſis apparebit, parum eſſe plerumque à marinâ aquâ expectandum, in vero perfectoque ſcirrho; nec in aliquo tumorum tunicatorum, vel atheromate, vel ſteatomate, vel meliceride: nec ubi materia extravaſata in medio glandulæ, velut nucleus in putamine ſuo, intus inſederit, ante inceptum marinæ aquæ uſum: (quod raro tamen poſt inchoatam eâ methodo curationem evenire ſolet:) nec in vero cancro, nec in ulceribus cum carie, ubi poſtulatur exfoliatio. Et tamen vel ex his caſibus nonnullos, accedente etiam glandularum morbo, curatos vidi.

Atque hæc quidem ſeries infelicis plerumque curationis eſt. Jam ad ea quæ bonæ ſpei ſunt animos intendamus; videamuſque quidnam à marinæ aquæ ſubſidiis expectare oporteat. Morbi igitur quibus hæc methodus prodeſt hoc ordine ſequuntur.

1. Omnes recentes obſtructiones glandularum inteſtinarum, & meſentericarum. Namque hâc ratione diſſipantur tumores, & iliaca paſſio notha ſæpe evitatur.

2. Omnes recentes obſtructiones glandularum pulmonis, aliorumque viſcerum; unde ſæpius tabes. Quippe hæc methodus continuam, & quotidianam quandam ſecretionem per glandulas inteſtinas expedire ſolet: atque ita à glandulis trachæarum, pulmoniſque deducitur fluxio; unde quieſcit tuſſis, ante ortum abſceſſum; & futura effugitur tabes, quæ, prout rectè animadvertit *Sydenhamus* noſter, ſæpe oriri ſolet à validis, repetitiſque tuſſiendi conatibus. Namque inde debilitatur pulmo, excitantur tumores; iique proinde inflammeſcunt, maturant, parteſque teneras, & laxas, erodere ſolent. unde exiguo temporis intervallo, procedit morbus ultra medicinæ poteſtatem.

3. Recentes tumores in glandulis cervicis, vel in aliis partibus corporis.

4. Recentes articulorum tumores, ſi nondum ſuppurantur, nec ſcirrhi ſunt, nec cancri; nec à carie oſſium proveniunt.

5. Recentes in glandulas palpebrarum fluxiones: à quibus lippitudines.

6. Omnes cutis defœdationes, ab eryſipelate uſque ad lepram.

7. Morbi quoque in glandulis narium, cum ſociâ ſuperioris labri craſſitudine. atque hi quidem caſus inter moleſtiſſimos numerantur: ſed vel eos quoque hæc methodus evincit.

8. Renum obſtructiones, nullâ accedente inflammatione, nec ſubſtante calculo largiori.

9. Recentes hepatis obſtructiones; namque ita alvus libera ſervatur, & ea quoque, quæ in ictericis dari ſolent, ad officia ſua fungenda promoventur.

Jam autem ſi recentes fluxiones in glandulas inteſtinas altiùs conſiderare vellem; glandulæ quoque tubuli alimentarii deſcribendæ, atque explicandæ forent. ſed illo non opus eſt. Itaque hoc ſolùm ſubjiciam; univerſum ductum alimentarium

tarium glandulis quaſi conſperſum eſſe: & proinde ſimilibus incommodis, quibus & pulmonis glandulæ, eſſe obnoxium. Sed hoc ipſis differentiæ contingit, quòd, in alterius tumoribus marina aqua parti affectæ applicari non poteſt, in alterius verò, poteſt: ideoque citiùs prodeſt.

Igitur ubi fluxiones aliquæ glandulas inteſtinas diu malè habuerint, protinus duræ fiunt, atque ſcirrhoſæ. Deinde rectum tumoribus graviſſimè obſtruitur; ſequitur deſidenti vehemens dolor: idque, quod excernitur, ſæpe tantùm ichori ſimile quoddam habet; quod veſicæ cervicem, ob vicinitatem partis, lædit, eodemque tempore excruciantem teneſmum, ſtranguriamque excitat. In his verò atrociſſimis caſibus, ſi partes nullâ inflammatione tentantur, vel ſi compreſſione tantùm læduntur; vel ſi ſolummodo intumeſcunt; tum marina aqua duo præcipuè commoda affert. Alterum eſt, quòd tutiſſimè alvum à conſtipationis metu liberat. Alterum, quòd meliùs cæteris omnibus diſcutit. Et veteres quidem marinâ aquâ in his morbis uti conſueverunt. *Aquam verò maris per ſe* (auctore *Plinio*) *efficaciorem diſcutiendis tumoribus putant medici.* Et in eodem hæc occurrunt = *quidam & quartanis dedere eam bibendam, & in teneſmis.* l. 36. c. 6.

Cum verò hi morbi negliguntur, vel imperitè tractantur, modò in cancros vertunt; ubi ſi nimia

mia accedat acrimonia, hæc curandi ratio non valet: modò paſſio iliaca notha oritur; ſcilicet ubi tumores in parte inteſtinorum inſederint. Sed hiſtoriam hujuſce generis ſubjiciam, quæ ſcribenti occurrit.

Venit ad me vir generoſâ ſtirpe natus, circa ætatis annum quadrageſimum. Tumor, generis ſupra memorati, inteſtino infra lienis regionem adhærebat. Cum vomitionibus ex toto æger vacuus erat, tumorem illum inter manus contrectabam pilæ luſoriæ largioris magnitudinem exæquantem, rotundumque. Febris aderat nulla. Poſt copioſam excrementorum per vomitum rejectionem, dies aliquot quietus agere conſuevit: donec repletis iterum inteſtinis ſtomachoque, quouſque ferre potuit, fæces iterum per os redderentur. Nulla non tentata eſt ratio: ſed nulla quidquam profuit: alvus nihil reddebat. Stato autem tempore recrudeſcebant ſymptomata iliaca: nimirum intra ſeptimum, decimumve diem. In his anguſtiis plurimos menſes infeliciſſimè protraxit: primò *Londini*, ſub curâ D. *Pellet*, amici mei doctiſſimi, cujuſque memoria cum veneratione quâdam mihi ſemper recolenda eſt: deinde *Bathoniæ*, curante D. *Bave*. Ad me demum rediit, perinde atque ante abitum, graviſſimè afflictus. at quia miris erat modis emaciatus, optima tumoris inſpiciendi ſeſe obtulit occaſio; ſed ſpes erat

erat omnis auxiliandi ſublata. Deceſſit non ita multò poſt.

Jam autem ſi eo tempore, pariter ut nunc, marinæ aquæ uſum perſpexiſſem, inde forſan aliquid ſpei affulſiſſet. Non enim aliud quoddam medicamentum novi, quo meliùs quid diſcutitur, quàm marinâ aquâ internè ſumtâ; nec quod ſupradicti morbi curationi magis accommodum videtur. In eo autem caſu per ſe dari oporteret, ut ſervaretur alvus libera; idque priùs fieri deberet quàm obſtructio ſeſe penitus ibi confirmaviſſet. His etiam & illud commodi accedit, quod & digeſtioni, & chylificationi marina aqua prodeſt.

Atque hæc vel illi noverunt, qui jumenta, pecudeſque curant. Namque ii, ubi bobus aliquando ruminatio defecit, atque exinde læſâ digeſtione periclitatur bos, protinus digeſtionem vel repetitis ſalſæ aquæ hauſtibus, vel bolis largioribus marini ſalis melle commiſti, renovant. Adhibentur ea, donec alvus dejecerit.

Cum ea ita eſſe perſpexiſſem, mihi haud obſcurum erat, marinæ aquæ uſum fore navigantibus commodiſſimum contra colicas bilioſas; tum ad præmuniendum corpus, ne omnino incurſet morbus; tum ad tutandum, ne poſt curationem reſurgat. Id verò efficiendum eſt poſt ſublatam inflammationem venæſectione, ſemicupio, & ſalinis

nis catharticis: atque eam quidem rationem feliciter eſſe inſtitutam ab amicis intellexi. Ex his enim morbis multi origines ſuas inde ducunt, quòd nautarum plurimi, & vel præcipuè hi, qui novitii ſunt, mariſque inſolentes, nauſeâ quâdam navigantibus propriâ tentari ſolent, ſub primum navis egreſſum: idque nonnullos diutiùs urget malum. Dum eo laborat æger, conſtringitur alvus; & rarò, donec ea dejecerit, convaleſcit. Jam & eo tempore cibus quàm parciſſimus aſſumitur; ſpirituſque ardentes in auxilium vocat nauta. Tum ſi in plagam calidiorem navigatur, per cutim indies copioſior fit evacuatio; ideoque per inteſtinas glandulas minus excernitur. Bilis magna vis evomendo rejicitur: albidæ redduntur fæces, atque aridæ, perinde atque in ictero: obſtruuntur viſcera, & futuræ inflammationi occupatur ſedes. fibræ utique in eo ſtatu aridæ ſunt, & ſaponaceâ iſtâ bile orbatæ, quam fæcibus exitum facilem lubricumque præſtare oporteret. Atque hæc quidem, inter cæteras innumeras ferè cauſas, una eſt, quæ navigantibus colicas inflammatorias excitare ſolet.

Igitur cogitanti mihi, atque ut de hâc re certior fierem, inquirenti à præfectis, mediciſque navalibus, morbus juxta eorum deſcriptiones colicamململ bilioſam referre viſus eſt; & curandi etiam rationem à medicamentis aloeticis, ſcammoniaciſ-

F que,

que, cum calomelano plerumque petitam eſſe intellexi: quæ tamen, quamvis opio munita, ſæpe ab ægri ſtomacho rejicerentur. Proinde vomitus atri, &c, alvo nihil reddente, inteſtino ſphacelus, & tandem mors ſupervenire conſuevit. Ergo, non inutile fore inceptum credidi, neque nautis, inſulæ noſtræ defenſoribus naturâ quodammodo deſtinatis, ingratum, ſi curandi rationem in his caſibus tutiorem excogitarem.

Itaque ubi colica ab alvi ſolâ conſtipatione proveniens, ægrum malè habet, nullaque accedat febris; tum marinæ aquæ ad minimum libra una danda eſt, omni mane. Idque, ſi morbo accedenti occurratur, ægrum tutum ab ejus magno periculo conſervabit. Sin verò in primâ acceſſione morbus negligatur, atque ad inflammationem procedat, cum febre, vomitionibus, atque alvi vel difficili, vel nullâ dejectione; tum paſſionis iliacæ oritur metus, ubi vomitiones ſuperveniunt atræ, fæceſque per os redduntur. proinde pulſus celer, ſed debilis; ſudoreſque frigidi ſubſequuntur: ægerque ſphacelo ſuccumbit. Interdum quidem poſt rigores pus ſe alicubi oſtendit, præſenſque ita effugitur mors: teneſmus verò plerumque purulentus miſerum infeſtat.

Cum plurimis poſt navigandum, tum medicis navalibus, tum aliis, mihi colloqui contigit; juxta quorum narrationes hanc morbi deſcriptionem

exa-

exaravi. Atque ut ea vulgaris, ac trita, ſed periculi plena, effugeretur methodus, ſuaſi D. *Leith*, regiæ claſſis chirurgo, ut novam quandam inſiſteret viam. Nimirum ut inter initia, ubi ſymptomata inflammationis apparebant, ſanguis liberè duceretur, & repeteretur pro re natâ, ſi nec dolores, nec febris remiſerint: ut nullum catharticum per os ingereretur, ne marina quidem aqua, donec revulſio, & ſatis magna, facta foret, per venæſectionem, & clyſteras emollientes. Vice autem aloeticorum, & ſcammoniacorum cum calomelano, ſequentia danda ſuaſi:

℞ *Tartar. vitriolat.* ℈ij *vel* ℥j.
Salis tartar. gr. viij vel ℈ß.
Ol. nuc. moſchat. chym. gtt. j.
Elect. lenitiv. q. s. f. bolus quartâ quâque horâ ſumend. donec alvus liberè dejecerit.

His feliciter contra eos morbos pugnatum eſt. Namque idem reverſus ob præſcriptionem illam gratias mihi retulit: quamvis enim inter navigandum nautæ, mirè quodammodo magiſque ſolito, colicis tentati fuerant, ab intemperantiâ, vinique mali copiâ; tamen neminem ferè non reſtituit. Poſt debitam enim venæſectionem doſis bis, terve, in caſibus pertinaciſſimis, repetita, ferè ſemper alvum ducebat; eâque ductâ, periculum omne evanuit. Sublatâ inflammatione, marina

aqua, vel omni, vel altero quoque die adhibita, facilè ægrum à novæ acceſſionis metu conſervabat.

Hâc ratione colicas quaſdam graves etiam ipſe curatas vidi: ubi ſi res poſtulat, ſemicupium quoque ante ingeſtum catharticum præcipere ſoleo. Quamvis enim *Fulleri* pilulas colicas, aliaque ejuſmodi feliciter data nonnunquam vidi; tamen, ſubſtante inflammatione, ab illis periculum eſt. Præcipuè autem illud nos à communi ratione deterrere debet, quòd ſi particulæ illæ ſive reſinoſæ, ſive gummoſæ, alvum ſtimulis ſuis aperire nequeunt, in ſanguinem recipiantur neceſſe eſt, & proinde febriſque atque inflammationis ardorem augeant. Contra, ſi ſalina ea per alvum non excernantur, atque ita in ſanguinem recipiantur, tamen refrigerant, inflammationeſque atque abſceſſus reprimunt. Adde, quòd & à ſtomacho rejici ſolent plerumque pilulæ amaræ, reſinoſæ, quamvis opio munitæ, cum ſalinus tamen bolus raró ſtomacho malè ſedeat: quin potiùs *ſalis abſinth. & ſucci limon.* munere quodammodo fungitur, & vomendi cupiditatem ſupprimit.

Itaque purgationes tum aloeticas, tum ſcammoniacas, tum reſinoſas cum calomelano, in ſtatu colicæ inflammatorio, ex toto rejiciendas eſſe, alteramque illam methodum, cum maximo nautarum commodo, ſubſtituendam cenſeo. Nam-

que

que & patet ubique marina aqua, in promptuque illis eſt; & plures, niſi me fallit animus atque obſervatio, per eam à colicis inflammatoriis liberabuntur, quàm ſi purgantium reſinoſorum opem petant; quæ inteſtinis tenaciter adhærent, morboque vim etiam addunt.

Hæc quæ jam propoſui, ſatis futura eſſe auguror, ad confirmandam illam rationem refrigerantem; quæ pluribus jam, puto, medicis laudabilis habetur; & non nova eſt, & digna, cui animos ſedulò adhibeamus. Et quia in his caſibus, tam feliciter dari ſolent purgativa ſalina, inde utique *crudum tartarum* omni laude cumulavit *Angelus Sala.* Datur autem ad drachmas ſex, aut unciam unam, in juſculo gallinaceo. *Sal* quoque *gemmæ* ob id experientiâ comprobatus eſt, quòd inteſtina lubricat, ſecretionem ab eorum glandulis illicit; fæces emollit, reſolvitque. Hujuſce rei exempla vide apud *Foreſt.* lib. 21. Igitur contra alvi conſtipationem, marinæ aquæ libra una, mane, jejuno bibenda eſt, pro re natâ: quæ, quamvis fortaſſe ſalis gemmæ naturam non ex toto referat, tamen ſub eâdem claſſe comprehenditur.

Atque ut inteſtinorum glandulæ à naturâ conſtrui videntur, ad educenda, ſive emittenda, quæcunque corpori non proſunt; ita plures, opinor, morbi glandulares inde proveniunt, quòd vel glandularum,

dularum, vel ductuum earum ora, nec purgantur, nec patula ſunt, nec proinde idonea ad emittendum quicquid ipſis objicitur. Sunt & multi quoque cutis, atque externarum glandularum morbi, quos ab origine vitiis tubi alimentarii attribuere non dubito: ſicut & glandulæ etiam tubi alimentarii, deficientibus cæteris ſecretionibus, conſentiunt, ſimulque afficiuntur. Et exinde omnes quidem provenire tum meſentericas, tum alias internarum glandularum obſtructiones, probabile eſt. Idque fieri ſolet in fœminis, ubi ſuppreſſo per multos annos menſtruorum profluvio, glanduliſque diverſarum partium morbo tentatis, ægrè, tamen non atrociter, urgentur propter perpetuam diarrhæam; quæ quamvis diu continuata raró tamen vel teneſmum, vel ulla acrimoniæ ſigna, ſuſcitat. Namque in eo caſu per inteſtinas glandulas id omne exit, quod, ſi ſanum eſſet corpus, aliis evacuationibus emitti deberet.

Et profectò quantùm inteſtina à naturâ ſint aptata ad ſublevandum evacuationis alicujus defectum, vel ea, opinor, pueri neſcio cujus hiſtoria, quæ in *annalibus regiæ ſocietatis* conſervatur facilè evincet. Is enim ætatem ad annum decimum ſeptimum produxit, cum non unquam interim urina excerneretur; tamen & valetudine, & robore, & alacritate vigebat: ſed aderat perpetua diarrhæa, non tamen moleſta. Igitur re-

num

num defectum, quod & medico D. *Richardſon* viſum eſt, glandularum inteſtinarum ſubſidium levabat. Vid. *ann. reg. ſoc.* vol. 28. anno 1713. Et ego quidem ægram quandam aſthmaticam novi, quæ obſtructis glandulis à cunis uſque laboravit. Nunquam ea ſpiritum ſuum tam commodè trahit, quàm ubi apertus ſervatur tubus alimentarius, & ubi glandulæ ejus ad augendas ſecretiones ſuas per marinam aquam ſtimulantur.

Hactenus de diverſis internarum glandularum morbis ſolummodo dictum eſt: in quibus profectò tractandis plura forſan magiſque minutula afferre; & opus, nec fortaſſe injucundè, protrahere facilè poſſem. Sed nec otium, nec voluntas mihi ſuppetit, ut ſubjiciam quid in hoc opuſculo, quod utique ad illuſtrandam curandi rationem generalem, non ſpectet. Nihil autem, opinor, magis ſcientiarum laudabilium ſive cultui, ſive incremento officere ſolet, quàm religioſa nimis, (& ſi ita loqui fas ſit) antiquorum ſervilis quædam obſervatio. Eam ita appello, quæcunque à veſtigiis veterum diſcedere ex toto timet, abhorretque. Neque tamen ideo eorum auctoritas ubique rejicienda, nec, quamvis ob cauſam, jure, vel injuriâ, ſubmovenda eſt. Namque ab eorum ſcriptis, tanquam à fontibus quibuſdam uberrima ſcientiæ, diſciplinarumque adjumenta haurimus.

Igitur cum animum meum ad ſcribendum appuli, duo mihi præcipuè eſſe obſervanda credidi. Alterum, ut hæc non tanquam nova nullique omnium excogitata oſtentarem; & tamen id mihi vindicarem, ut remedium antiquorum medicorum non ſanè ſatis obſervatum, reduxerim, & paulo ſubtiliùs, ſi fas ſit dicere, excoluerim. Alterum, ut non ubique in arctis eorum obſervationibus ſerviliter me conſtrictum eſſe voluerim; ſed, ubi ſatis juſta diſcedendi daretur cauſa, ab eorum veſtigiis declinare auſus fuerim. Jam ergo pauca, quæ ex antiquis, hinc inde ſparſa, collegerim; quæque aliquid lucis animadverſionibus noſtris affundere poſſint, ſubjiciam: unde apparebit, quid eo remedio molirentur veteres, idque omne quàm perexiguum fuerit.

Et primùm innuit *Celſus*, in capite de alvi ductione, l. 2. cap. 12. duorum generum à veteribus datam fuiſſe ſalſam aquam, ut alvus libera ſervaretur: alterum natura, alterum ſuppeditavit ars. "*Acris autem eſt*, inquit, *marina aqua*, *vel alia*, *ſale adjecto: at utraque decocta commodior eſt*." Et deinde: "*ſi acrior eſt*, *eò plùs extrahit*." Et *Hippocrates* quoque marinam aquam per clyſterem ingeſſit. Tum *Themiſon* quoque in dyſenteriâ *muriâ durâ quàm aſperrimâ utendum*, memoriæ prodidit. Cel. l. 4. cap. 15. *& valens habita eſt adverſus cancerem inteſtinorum minii gleba*

gleba cum ſalis heminâ contritâ. Sin minùs, *mixta his aqua in alvum datur.* ibid.

Quamvis autem marinam aquam in multis morbis veteres internè adhibuerunt, tamen & timidi erant, uſuſque ejus parum perſpiciebant. Namque eam ſervare ſolebant, donec virus ſuum, ut nominabant, depoſuiſſet: & ſæpe vice ejus *thalaſſomeli* quoddam ſubſtituerunt. Fit autem *thalaſſomeli Dioſcoridis* hoc modo: *ſume aquæ marinæ, pluvialis, melliſque partes æquales: miſce, deſpuma: deinde per dies caniculares, in ollâ vitreâ, bene clauſâ, conſerventur.* Marinam quoque aquam vinis ſuis immiſcere veteres conſueverunt, quæ & medici ad ſolvendam alvum dabant. Vinum etiam *tethalaſſomenon* à *Dioſcoride* ventrem ducere proditum eſt; fitque, auctore *Plinio*, hoc modo: *uvæ paulum ante maturitatem decerptæ, ſiccantur acri ſole, ter die verſatæ per triduum, quarto exprimuntur; dein in cadis ſole inveterantur. cui marinam aquam largiorem miſcent &c.* Vid. *Plin. Nat. Hiſt.* l. 14. cap. 8. Atque hoc etiam in regio morbo adhiberi ſolitum eſſe ſcribit *Celſus* l. 3. cap. 24. *& vinum bibere ſalſum Græcum, ut ſolutio ventris remaneat.* & eodem capite ſcribit = *Aſclepiades aquam quoque ſalſam, & quidem per biduum, purgationis cauſâ bibere cogebat.*

Quintus Serenus Samonicus etiam, in capite cui titulus *ventri molliendo*, ſic ſcribit,

 "*Sæpe*

"*Sæpe thalaſſomeli junctum cumulavimus imbri:*
Hæc purgant, parili fuerint ſi pondere miſta."

Quin & felli arcendo veteres aquam marinam adhibuerunt; teſte eodem *Samonico* in capite quod inſcribitur, *felli, vomitui, vel pthiſi arcendis:*

"*Proſunt & pelagi latices, quos pondere juſto*
Dulcibus aſſocias lymphis, melliqueliquenti."

Scribit etiam & idem *Samonicus* in morbo articulari,

"*Si verò articulos tabes inimica per omnes*
Hæſerit, ex ficu betas ac melle ligabis;
Vel pelagi latices, ſimul & Baccheïa dona
Sumere curabis: nimio ſed parcito vino."

Porro marinâ aquâ in paralyſi ad ſtimulandos artus reſolutos veteres uſi ſunt. "*Quin etiam fovere aquâ calidâ marinâ; vel, ſi ea non eſt, tamen ſalſâ, magnopere neceſſarium eſt: Celſus* l. 3. cap. 27. in eodemque morbo alvum ducebant vino Græco ſalſo: *ſi tamen vetus morbus eſt, interponi quarto vel quinto die, purgationis cauſâ vinum Græcum ſalſum poteſt.* Ibid.

Atque hîc brevem purgantium ſalinorum, antiquis uſitatorum, catalogum ſubjicere lubet; quæ quidem omnia in quaſdam quaſi claſſes, pro ratione virium ſuarum, locaſſe, atque diſtinxiſſe, veteres videntur.

1. *Sal.* 2. *Sal gemmæ.* 3. *Sal nitri.* 4. *Sal Indus.* 5. *Salis flos.*

Tum

Tum purgativa quoque ſalina liquida annumerantur:

1. *Aqua marina.* 2. *Thalaſſomeli.* 3. *Vinum tethalaſſomenon.* quorum duo poſteriora medicamenta *mitiùs* purgare putabantur nonnullis: licet *Dioſcorides thalaſſomeli* inter fortia purgativa numeret.

Jam autem multos, & graviſſimos quidem ſcriptores, auctoritate veterum, in eorum opinionem præcipites abreptos video. Nam & ipſe *Antonius Muſa Braſavolus* cum obſervaſſet à *Plinio* dictum eſſe, *marinam aquam non ſine injuriâ ſtomachi ſumi*, anilem quandam fabellam narrat: nimirum, quòd *Venetiis* agens, cum *Alphonſo Ferrariæ* Duce tertio, è portu navigavit. Subortâ autem procellâ, fluctus in naviculam irruperunt. Sed ipſius verba ſubjiciam: *partim faciem meam irrorabant; nam nullus dabatur locus, in quem progredi poſſem; tunc marinam aquam invitus bibi, & in alvi profluvium incidi. Arbitrabar proculdubio me ſuffocaturum eſſe: nam pro rato putabam naviculam ſubmergendam eſſe. Unde cogitare cœpi, quonam modo evadere poſſem à tali tamque imminenti diſcrimine: nullum aliud mihi ſuccurrit præſidium, ſi navis ſubmergeretur, quàm ſupra illuſtriſſimi Ducis dorſum me jactare, & illi manibus tenaciter inhærere; nam non me latebat illum uti piſcem natare; idcirco ſtatueram, aut quòd me ab*

aquis liberaret, aut ego unà cum illo, qui erat mihi interitûs cauſa, ſuffocaremur. Sed hîc quidem non poſſum non obſervare, ſummas medico ſuo illuſtriſſimum Ducem debere gratias, quòd conſilium tam amoris & reverentiæ plenum animo conceperat.

Deinde autem, quod & mirum, verique parum ſimile eſt, alvi profluvio ſe per dies octo laboraſſe tradit: ab illâ ſcilicet maris ſpumâ, quam invitus hauſit. *Evacuat igitur*, inquit, *& ventriculum turbat aqua marina.* Vid. *Anton. Muſam Braſavol.* p. 27. *de purgantibus.* Quid dixiſſet medicus illuſtris, ſi hanc noſtram methodum jam vivus inſpexiſſet? quid, ſi per annum integrum ægros marinam aquam, non ullo ſuperveniente calore, quotidie ſumſiſſe intellexiſſet?

Hæc verba etiam (de uſu muriæ in peſte) ex *Fabricio Hildano* in obſ. xxxiv. cent. 2. ad D. *Sennert.* tranſtuli: *ſed quid ſentis de uſu muriæ in peſte? Noviſſiæ ad Rhenum civem quendam, Taſcheumacherum nomine, juriſconſultum cognovi, qui, me præſente, retulit, ſe maximo cum fructu domeſticis ſuis, & amicis muriam in peſte ſæpius exhibuiſſe.* * * * * * *Quamprimum autem aliquis peſte correptus eſſet, hauſtum hujus muriæ ei propinabat, & ut in lecto ſudaret, ab omnique alio potu per horas aliquot abſtineret, injunxit. Retulit*

lit hoc genus remedii in nonnullis per ſudores, in aliis per vomitum, in reliquis per alvum, aut per vomitum & alvum ſimul, tam affatim evacuare, ut major pars eorum qui illud ſumſerint, ſanitati reſtituta fuerit. Ego, etſi nullum periculum fecerim, neque facere auderem, niſi tuam ſententiam hâc de re priùs intellexero; attamen in robuſtioribus corporibus remedium hocce forſan non omnino rejiciendum eſſe arbitror: quandoquidem, ratione ſalis, putredini humorum ſummopere adverſari, nullum eſt dubium. Reſerat præterea obſtructiones viſcerum, noxioſque humores, nunc per ſudorem, nunc verò per urinam, aut alvum educit. Sed teſtimoniorum ſatis.

Jam autem præmiſſis marinæ aquæ effectibus in glandularum internarum morbis, quid & in externis quoque valeat, videamus; in quibus cum medici oculis magis pateant, tum morbi remiſſio, tum medicamenti effectus citiùs apparet. Namque obſervare eſt operæ pretium, glandulas ciliares, rubidas, atque excoriatas, cum palpebrarum craſſitie, cito ſub marinæ aquæ uſum pallidas, atque aridas evadere, & ad ſanitatem tendere: glandulas quoque cervicis concatenatas indies decreſcere; & cum jam nec maturatæ ſunt, nec in veros ſcirrhos verſæ, ad naturalem formam hâc eâdem methodo redire. Quo pacto reſtituitur honeſtum illud, & perelegans colli decus;

quod

quod eò rerum omnium ſummus opifex venuſtum, & cum dignitate quâdam erectum conformaſſe videtur, ut in illud, tanquam in columnam quandam ornatiſſimam, ultimum, & planè perfectiſſimum opus, Caput imponeret.

Sed ex conſideratione glandularum morbidarum ſupra poſitâ, lectoris animus jam, opinor, præparatus eſt, atque inſtructus, ad recipiendam, comprehendendamque rationem curandi ſequentem; quæ contra glandulas tumefactas, per auxilia maturè interpoſita, pugnat. Igitur nunc ad eam incepti partem tranſeundum eſt, in quâ hujuſce rationis ſimilitudinem, atque conſenſum cum naturæ legibus explicare propoſuimus; ut exinde appareat, naturam quoque eadem ferè adjumenta ſubſtituere ſolere, ubi malo alicui vires ſuas per ſe tantùm opponit. Deinde, & ad veterum medicamenta, curandique rationem in glandulis morbidis reſpiciendum eſt; unde apparebit, quàm ſit rationalis, quàmque idonea eorum medicamentorum cum marinâ aquâ conſociatio, ut illorum conjunctâ ope internas diſcutiamus obſtructiones, à quibus maximum periculum impendet.

Atque ob eam quidem cauſam, cum ad curandam glandulam obſtructam accerſor, in remotas illas, intuſque latentes cauſas, intendere animum ſoleo. Nam ſi meſentericarum, pulmonariumque

nariumque glandularum, obſtructiones evinci nequeunt, quid, cedo, externarum diſcuſſio proderit? Ideoque rarò quidem illis topica medicamenta priùs applicare ſoleo, quàm emolliantur glandulæ, & per interna remedia commutentur. Cum verò, quod in his caſibus ſæpe contigit, res ultra medicæ artis fines proceſſerit, atque ita, ob cauſas ſupra dictas, manum deſideret; tum, in externis ſcilicet tumoribus, rei chirurgicæ peritis, opus ipſis proprium, derelinquere ſoleo: quos ea, quæ ad ipſos attinent, quæque ſtrictim, & leviter tantùm delibavi, altiùs atque accuratiùs inveſtigaturos eſſe ſpero, quàm me vel otium, vel inſtituti operis ratio proſequi ſinunt. Nam illuc tantùm deſtinatur hoc opus, ut curationem glandularum morbidarum in eo ſtatu explicem, quo vaſcula earum integra, & à ruptionibus libera manent: ubi fluida quoque, quamvis præpedita aliquatenus, tamen circulationis legibus parent, atque ita res medicæ artis adhuc propria eſt.

Atqui non aliud quidem eſt, quantum mihi ſcire contigit, medicamentum, quod tutò continuari tam diu poteſt, nec quod depurgat, corroboratque obſtructos tubos perinde ac marina aqua. Porro & ſaponacea quædam illi ineſt natura, non minùs quàm ſalina, quæ humores eos viſcidos, quibus operiuntur & obſtruuntur venarum lactearum ora, detergit, diſpellitque. quin

&

& eorum ſphincteras optimè ſtimulat: quo fit ut ii, perinde atque in ſtatu ſano, debitum peragant munus, & chylificationem promoveant. Inde quicquid nutritioni conducit, ſeparatur; circumque ad alendum corpus fertur: nihilque aſſumi ſolet, niſi quod priùs in tubo alimentario optimè adaptatum fuerit. Atqui cum in his venis, ſcilicet lacteis, oritur obſtructio, & proinde chylus malè vel ſecernitur, vel ab inteſtinis exſugitur, tum ſubſequitur inedia, chyluſque ipſe, ut in affectione cæliacâ, per anum exit: & exinde vel atrophia, vel univerſi corporis tabes accedit.

Quòd verò hi tumores meſenterici ex eo proveniunt, quòd vaſcula illa impediuntur, atque obſtruuntur, & quòd inde fluida debitis circulationis legibus non parent, vel illud *Whartoni* noſtri experimentum facilè evincet. *Quare* (inquit) *tumores lactei admodum exiles ſunt, & fortè nondum ab ullis animadverſi. In vivis autem diſſectionibus, ligatis venis lacteis inter commune receptaculum, & meſenterii glandulas, obſervavimus, chyli curriculo obſtructo, glandulas illas, ad quas venæ ligatæ ſpectant, nonnihil intumeſcere.* Vid. *Wharton.* de glandulis p. 47. *Vid. tab.* 3.

Jam & plures ejuſmodi hiſtorias à diverſis auctoribus citare poſſem. ſed eas omnes intactas præterire lubet; quoniam brevis eſſe laboro. Igitur

p. 56.

TAB. III.



tur illud tantummodo ſubjiciam; quòd, cum in his caſibus febris accedit hectica, pus ubique ferè ſubſtet. Sin verò non ita ſit, malumque quieſcat, & curationis perfectiſſimæ ſpes oſtendatur: tamen, quoniam in his partes corporis laxiores affici ſolent, non ideo res in tuto erit, omniſque timoris expers. Namque niſi ægro ea ſit animi conſtantia, ut methodum per longi temporis ſpatium continuet, curationemque à balneo maris frigido terminet, admodum veriſimile eſt, novâ redeunte plenitudine, & malum quoque unà rediturum. Glandulæ enim illæ, morbo præterito debilitatæ, novæ fluxioni parum fortiter reſiſtent. Profectò magna (confitebor enim) in his caſibus deſideratur animi conſtantia ad ſuſtentandam curationis moram: ſed vel illud, opinor, perferre tædium præſtat, quàm vel tabi, vel oſſium cariei ſuccumbere, quod notum & vulgare malum eſt.

Jam igitur, puto, perſpicuum eſt, glandularum morbidarum duas præcipuè eſſe cauſas. Altera eſt, humorum redundantium in glandulas adfluxio; altera, partium affectarum imbecillitas, quæ fluxioni non valent repugnare, quarum ſi vel alterutra cauſa abſit, nullus ejuſmodi notabilis excitari morbus poteſt. Namque hinc, ſi nulla ſubſtat redundantia, ſequitur, nullam fore nimiam oppreſſionem: inde autem, ſi nulla ſit

imbecillitas, vel laxitas, ſequitur morbo repugnaturam eſſe elaſticam vaſorum vim. Jam ſi utraque abſit, nullus aſſurget tumor.

Sed illuc tranſeundum eſt, ubi explicare propoſuimus, quibus modis ea habitûs mutatio efficienda ſit; proinde quænam præcipuè ſecretiones medici peritiâ dirigi poſſint; tum & quænam maximè à naturâ ita conſtrui, atque aptari videantur, ut imbecillis partibus quædam præbeant auxilia, onuſque illud, quo prægravantur, ſubtrahant: denique, quod & experientia evincet, in illis caſibus, qui medicæ artis proprii ſunt, raró ſucceſſum medico deeſſe, niſi ubi ægro deſit conſtantia.

Sed in conſiderandis ſecretionum animalium mutationibus, leges illas ſolummodo ſubjiciam, quæ patent, eædemque perpetuæ ſunt. Igitur & coagulationum & concretionum, & affectionum hæreditariarum appellationes obſcuras rejicio, & morbos eos certioribus, minúſque reconditis principiis attribui poſſe cenſeo. Quodcunque enim ſit, quod fluxionem in eas partes laxas dirigere poteſt, adeo ut ſuperveniat humor copioſior quàm qui tranſmitti queat, tumores ibi neceſſarió excitabit. Vidi ipſe tumores in glandulis colli à ſolâ veſicatoriorum poſt aures irritatione ortos: & hiſtoriam viri cujuſdam memoriæ tradit D. *Wiſemannus*, qui noctem æſtivam

in

in ſcamnum ſtratus peregit. Sed delapſo inter dormiendum capite, cervicis alterum latus in acutum ſcamni apicem reclinavit. Somno excitatus cervicis glandulas tumefactas eſſe ſenſit, quarum nonnullæ juglandium magnitudinem exæquabant. Idem hæc quoque in infantulis evenire obſervavit, ubi faſciis nimis arctis tonſillæ comprimebantur. Dolor in pectore fluxionem ad glandulas axillares adducit, crurumque morbi in glandulis inguinum tumores excitant: & ejuſmodi innumera exempla recenſeri poſſunt.

Hæ igitur evidentes cauſæ viam nobis optimè commonſtrant, curandique rationem indicant. Sin verò cauſæ ab aliis auctoribus allatæ, quibuſdam fortè magis arrideant, nempe humores cancroſi, ſcrophuloſi, & ſcorbutici; non contendam: nec quid, quo minùs iſta ſentiant, ampliùs addam. Sed illud tamen aſſero, non aliam eſſe in his morbis curandi rationem feliciorem, quàm ea, quæ fit per AQUAM MARINAM.

SECT. II.

PRævisis igitur his omnibus, quæ ad univerſam hiſtoriam glandularum morbidarum pertinent, liquebit facilè, opinor, cuivis medico, etiam rei anatomicæ imperito, ſibi curæ eſſe corpus organis inſtructum, cujus, ab innumeris ferè ſecretionibus, rectè atque ordine peractis, pendet ſalus.

Cum enim prævideret humani generis auctor, fore harum nonnullas variis caſibus obſtructas, & ad leges circulationis minùs aptas, uberrimâ, tanquam ſubſidiis quibuſdam, corpus inſtruxit ſecretionum copiâ: ut ubicunque harum aliqua impediretur, aliûs auxilio ſublevaretur corpus. Atque ita multos ſanè morbos ipſa ſuis viribus natura ſanat, & eouſque jure audit MEDICATRIX MORBORUM.

Namque ubi ſecretionum hæc vel illa impeditur, aliam liberiùs, & majori cum copiâ, officio fungi jubet; quamvis haud ita forſan commodè. Atque hæc quidem niſi vi propriâ natura faceret, potûs, cibive plus ſatis ſumtum, aeris, aut tempeſtatum mutatio, pulcherrimam hanc fabricam, *hominem*, deſtrueret.

Hæc igitur mihi reputanti, maximum ſemper viſum eſt, & medico præcipuum, ut ad naturæ ratio-

rationem quàm proximè accedat; & ubicunque ſecretio aliqua impediatur, vel minuatur, aliam expedire, atque augere curet.

Et hanc quidem natura inſiſtit viam ad depellendos morbos qui ab obſtructis glandulis alioquin oriri ſolent. Idque fit, ubi egreſſo in aerem frigidiorem, & ſuppreſſâ per cutim perſpiratione, oculi nareſque ſubitâ fluxione ſtillant, glandulæ oris & gutturis afficiuntur, ita ut ſuperveniat morbus, quem medici *catarrhum* nominant.

Atqui hæc omnia naturæ ſunt niſus, ad rejiciendum quicquid redundat ab impeditâ cutis tranſpiratione. Et profectò quicunque hanc naturæ normam obſervat, ſaltem morbi impetum franget. Jam verò etſi largiora axillarum, inguinis, &c. emunctoria multùm ſanè adjuvant, tamen haud tam medici arbitrio hæc ſubſerviunt, quàm illa tubi alimentarii, quæ ultro aperta magis ad detrahenda redundantia à naturâ conſtrui videntur. atque ubi redundantium copia præcipuè officit, citiùs, faciliúſque hâc viâ detrahitur: nec neceſſe eſt fortè ut trituram æquè ſubtilem ſubeant fluida, ac quum perſpiratione tranſmittuntur.

Qui his uti ſubſidiis callet, ſecretiones certè glandulares rectiſſimè diriget. & ſi curationem haud omnino perfecerit, tamen aliquod levamen

afferat

afferat neceſſe eſt; quia morbum depellere poteſt per alias vias huic forſan officio deſtinatas. nec quidem minimum eſt, ſi medicus mutare poterit morbum, à periculoſo, in minùs periculoſum; ita ut æger ab acuto aliquo morbo alioquin ſtatim moriturus, ſemina illa morbifica in ætatem provectiorem proferat; quæ neſcio an non conſultò nobis inſerantur, ut apta ad corporis diſſolutionem.


Hanc divinam ſanè medendi rationem, quæ in mutandis morbis verſatur, vellem meliùs omnes dignoſceremus; multò enim fore meliùs & ægrotantis ſaluti, & medici famæ, confido.

Aliud & ſanè illuſtre hujuſce methodi eſt exemplum, in curatione hydropicorum, per vaſorum abſorbentium opem. ubi pro tempore rejicitur morbus in renes, & ſecretione verſâ à glandulis peritonæi, aqua retenta reſorbetur, & per renes deducitur. quod ſæpiùs fit medicamentorum ſaponaceorum auxilio, & ſalium lixiviorum uſu. Quin adhuc etiam in animo teneo dixiſſe mihi celeberrimum profeſſorem D. *Boerhavium* plurimos ſe hydropes hâc ratione curaſſe. Sed quod præ cæteris notatu dignum puto, ſubjungam:

Ad uxorem agricolæ cujuſdam accerſebar: quæſtio erat de paracenteſi; magnam putabat chirurgus eſſe in abdomine aquæ copiam; ſed

p. 63.

TAB. IIII.



quia debilis erat mulier, & paracenteſi ſub id tempus impar, medicamentorum eam auxilio primùm aggreſſi ſumus; & quòd hydrops ille ab obſtructis renibus oriebatur, ſequentia dedi:

℞ *millep. ppt.* ʒij *ſapon. venet.* ℥ß.
Gum. ammoniac. ʒij *balſ. ſulph.*
Tereb. q. s. f. pil. x. è ſing. drachm.
Quarum ſumat vj vel viij ter ſing. diebus ſuperbibendo cyath. vin. medic. ſequent.

℞ *ſal. abſinth* ʒj.
Sacch. alb. ℥iij.
Ol. nuc. moſch. chym. gtt. vj.
Vin. alb. ℔j *m. f. vin. medic.*

poſt hæc emiſſi ſunt calculi ſexdecem, magnitudine cretaceos globulos, quibus pueri ſe oblectant, æquantes. *Vid. tab.* 4.

Quindecem tantùm hîc numerabis; alterum, ſi bene memini, propter inſolentiam curationis, ut ſui juris facerem voluit, rei anatomicæ & medicæ peritus D. *Nichols*, medicus Londinenſis. & niſi fallor in muſæo chariſſimi amici mei D. *Cheſelden*, chirurgi, & lithotomorum facilè principis, ureteras hujuſmodi lapillis refertos olim vidi.

Cum accerſebar iterum, poſt aſſumtum medicamentum, tantâ, tamque perpetuâ per renes lymphæ ſecretione laborabat mulier, ut fatigare-

tur

tur veſicæ ſphincter, & aqua deflueret, invitâ illâ, per lectum, & cubiculi tabulatum, in terram. Ægra proinde aptis cardiacis reſtituebatur, faſciis aptis circumvinciebatur, atque ita abſorptus eſt hydrops, & puncto ferè temporis, per renes derivatus.

Vixit poſtea mulier per quindecem annos, nec recruduit unquam morbus.

Apparet ex his quod ſupra dixi; nempe, ſecretiones pro medici arbitrio quandoque poſſe dirigi: & glandulas quocunque ſtimulo, ſive doloris, ſive vellicationis laceſſitas, lubenter ſecretionem fluidorum ſuorum expedire ſolitas eſſe. hoc, opinor, vel ſubſequens exemplum evincet.

Eſt mihi quædam è grege ovis, quæ, quamvis lactis expers, agnum ſuppoſititium, matre orbum, ſibi alendum ſumſit. proinde, agno ejus uber vellicante, lactis vis magna ſatis adducta fuit; ita ut alumnum firmum, pinguemque nutrix exhiberet. hæc mihi aſſeverante conſtantiſſimè gregis paſtore, ovem proferri, (nam tondendi tempore ejus rei mentio incidebat) juſſi. Lac copioſè diſtendebat uber, poſt novenos ſine lacte aut prole menſes exactos. Et quidem hæc vera eſſe, & non inſolita, alii quoque paſtores confirmabant. Ad idem facit hiſtoria canis, ex *Regner. de Graaf* excerpta: D. *vande Velde, in cujus ædibus domicilium Delphis elegimus, non abbinc longo tem-*

tempore canem habuit admodum pinguem, ex cujus mammis felis per aliquot annos lac exſuxit tam copioſum, ut inde ferè nutriretur, idque per multos annos abſque quod unquam generaſſet, imò quod magis eſt, coiviſſet; nam toto tempore, quo canem coitum appetere animadvertebant, illam diligenter cuſtodiebant. Nihilominus tandem aliquando canis aliquis domum intrans cum illâ coivit: & ab illo tempore felis nunquam lac, quemadmodum ante, ex mammis exſugere voluit. Vid. *de Graaf.* de vir. organ. p. 126.

Illuſtrationibus aliis uti ſupervacaneum eſſe duco. Atque hoc equidem tanquam fundamine innixus, omnes aggredior recentes tumores, fluxioneſque in glandulas trachæales & pulmonales; unde ſæpiſſimè, auctore *Hippocrate,* tabes oriuntur.

Aliis autem, inquit, *ſi per palatum in guttur multa fluxio contingat, ut plurimùm morbi tabis oriuntur; replentur enim pulmones pituitâ, atque ea ipſa pus fit, id quod pulmones exedit, & ægroti non facilè ſuperſtites manent.* Vid. *Hippocrat.* de glandul. ſect. x.

Fluxiones illæ recentes feliciter hac ratione curantur: nec niſi in caſibus inveteratis ſæpe fruſtra tentare ſoleo. pari etiam ratione recentes glandularum tumores, in articulis, aliiſque partibus, tracto: raróque glandulas inteſtinas, ægri,

medicique, ſpem lactaſſe inveni. Interim non omnia ab his ſpero; nam eruptiones quaſdam cuticulares, pertinaciter inhærentes, vimque omnem hujuſce methodi eludentes, interdum vidi. ſed & harum etiam non paucas, rejectis priùs remediis omnibus, quæ ſtimulare ullo modo poterint, interdictis cæteris præter aquam, & diætam lactis, per illa ipſa remedia, quæ antea nihil profecerant, edomui. at ubi contrahuntur vaſcula per remediorum ſtimulos, neque ullâ morbum viâ deduci ſinunt, optimè balneis tepidis, aquæ potu, lenium alterantium uſu, & diætâ lactis, huic methodo idoneus fit æger.

Jam autem glandulæ colli largiores, axillarum, & hujuſmodi, facilè præ cæteris evacuantur. Glandulæ verò cutaneæ moleſtiores ſunt, & diuturniorem ad purgandum curam poſcunt. atque illi morbi, qui ſub herpetum genere continentur, præ cæteris ſunt pertinaces.

Nonnunquam quidem ægros, ſub revocatum morbum, à remediis topicis, nauſeantes vidi. rarò tamen, ubi adjuncta fuerit purgatio per aquam marinam. Hîc enim morbo præcautum eſt, per aperturam glandularum inteſtinarum; atque ubi per aliquantulum temporis hâc viâ deductus fuerit morbus, fit quaſi naturalis evacuatio, nec neceſſaria invenitur ad ægri ſalutem illa per cutim ſeparatio. ſin iterum ægrotet, ad eadem auxilia

recur-

recurrendum erit: quibus comparatum eſt, ut per illos exitus evadat morbus, quos neſcio an non natura ipſa, ni fuerint obſtructi, huic officio deſtinaverit. Quàm verò glandulæ inteſtinæ ſint aptatæ ad recipiendam humorum à cute tranſlationem, facilè erit intelligere, ex eo quòd colicam in eruptiones cutaneas deſinentem cernimus: & ſi quidem repellantur eruptiones illæ cutaneæ, colica iterum, & diarrhæa (frequenter) oriuntur. ibi verò glandulæ inteſtinæ vice cutanearum afficiuntur, & nociva illa materia per inteſtina deducitur, quæ in puſtulas alioquin erumperet, aut perſpiratione tranſmitteretur. Simile quoddam in *Hippocrate* reperitur: *ſi verò fluxio retro proceſſerit, per palatum, & in ventrem pituita pervenerit, fluunt quidem horum ventres, non autem ægrotant.* Vid. de glandulis. ſect. IX.

Hæc igitur curandi via, quæ ad naturæ exemplar fingi videtur, ſi peritè, feliciter etiam ferè inſtituitur. Porro obſervavi, cum diutiùs aliquando diſtentæ fuerint glandulæ, & humoribus onuſtæ, cumque earum textura crebris fluxionibus debilitata fuerit, neceſſarium eſſe, ut non modò uberior ſit per inteſtinorum glandulas evacuatio, ſed ut major etiam adhibeatur revulſio, quàm tutò *ſolùm* purgantium ope fieri poteſt. Hîc verò emetica utiliſſima inveni; & cum glandulæ uterinæ præ cæteris ſint debiles, aquæ marinæ ca-

 tharſin,

tharſin, cum repetitis emeticis, balneoque in mari, voto reſpondere ſæpe vidi.

Sed cum turpethum minerale, cæteraque emetica mineralia pro hiſce tenerioris habitûs ægris nimiùm fortia ducam; ab ipecacuanhâ, vel à ſquillis auxilium petere ſoleo. Hæ verò, (ſquillas intelligo) quàm ſint idoneæ ad aperiendum, ab egregiâ ipſarum ope in hydropicis, morbiſque thoracis facilè cernitur. Et quidem in morbis glandularum optimum eſſe inter vegetabilia emeticum opinor. tutè enim per illas, & ſatis efficaciter fit revulſio; renes aperiuntur; ſecretiones omnes augentur; & ne minimum quidem periclitatur æger ab acceſſu diarrheæ colliquativæ, quæ ſæpiſſimè tabem procreat. Squilla aſſata, auctore *Gerardo*, cum ſalis partibus octo, mane, jejuno ad quantitatem cochlearii unius ſumta, alvum ſolvit. Et ſi quidem ſquillæ infuſio detur cum aquâ cinamomi forti, raró vomitum ciet: ſed modò per alvum, modò per renes copioſiſſimo flumine excernitur. & profectò hanc ob cauſam fit, ut adeo in hydropicis ejus celebretur uſus.

Jam autem memoratâ ſquillæ laude, monere non alienum videtur, veteres è mari remedia ſua tantùm non omnia, ad curandas glandulas morbidas, deprompſiſſe: quod quidem memorabile, ac notatu dignum puto. vix enim ſuſpicari poſ-

ſumus,

ſumus, quin notæ eorum virtutes cauſa fuerint, cur uſum tam ferè univerſum obtinuerint: præſertim cum illorum praxis, non uni particularique hypotheſeos alicujus fundamini impoſita, ſed ab experientiâ potiùs, illâ artium omnium magiſtrâ, derivata fuerit.

Cum verò jam inciderit ſquillæ mentio, facilè veniam dabis, ſi veterum remedia, quaſi currente oculo, leviter inſpiciam: cum tamen hoc priùs notatum velim, fore quidem (meâ ſententiâ) rem parum æquam, imò injurioſam, ſi orbaretur hæc noſtra methodus ipſis illis medicamentorum auxiliis aliorum, quæ cæteræ curandi viæ omnes, quaſi communi jure, ſibi vindicant. Namque licet multa, & maxima ſanè, ſuis ipſa viribus poſſit aqua marina, tamen aliquando aliorum medicamentorum ſociâ operâ nonnihil adjuvatur. ſed ut illuc revertar. Medicamenta uſitatiſſima apud veteres in morbis glandularum, è calcibus, ſalibuſque lixivialibus, conficiebantur. *Teſtæ oſtrearum cinis*, auctore PLINIO, *uvam ſedat*, *modò parotidas*, *modò prunas*, *mammarumque duritias*. Et quidem conchæ marinæ, cujuſcunque generis, calcinatæ, ſicut etiam in iiſdem caſibus pumex aſſatus, ſpongia calcinata, os ſepiæ uſt. &c. apud veteres in uſu erant. nec minùs hodie calces omnes utiles eſſe conſentimus, ad diſſolvendas concretiones, & corrigendam ſanguinis craſin ſcorbuticam.

buticam. Veniam dabit fortaſſe lector ſi recenſeam ægrotantis cujuſdam hiſtoriam, qui tuſſi, & ſanguinis ſputatione diu laboraverat. ſed ſumtâ aquâ benedictâ *Batean.* duos exſputavit calculos, aſperos, & molliculos, inſtar cretæ. Id autem eò fieri ſuſpicabar, quòd per medicamentum illud cum lacte ſumtum, calculi non ex toto diſſolverentur. ſed ut ut ea res ſe habuit, integer evaſit.

Madreporæ ſpecies quædam eſt, ex quâ calcem conſtituunt *Americani*, incolarumque tumoribus glandularum eodem medicamento, ſi qua ipſis eſt fides adhibenda, medentur. atque apud *Siamenſes*, tanto in honore eſt calx quædam è conchis marinis, ut exinde celeberrimam illorum *areccam*, quam ferè ſemper manducant, delicatè temperent. Fit miſtura hæc è fructu quodam, glandis magnitudinem æquante, fruſtatimque reſecto, immiſtâ priùs calce è conchis marinis; id autem fronde *betele* inducitur. hujuſce medicamenti mentionem facit *Bontius* in libro de medendi methodo Indicâ: *præter hoc, peculiare hîc habemus*, inquit, *nobile medicamentum, quod conficitur ex areccâ, & betele, & calce vivâ, ex oſtrearum conchyliis uſtâ, quod maſticando pituitam ex capite elicit, eamque, quæ in ventriculo eſt, conſumit, ac prohibet ne vaporibus caput impleat, unde hi catarrhi naſcuntur.* Vid. cap. 12. & deinde inquit, *ejus deſcriptionem, & reliquas virtutes inſignes, quibus ſine dubio præ-*

ditum

TAB. V.

p. 70.



MADREPORA.

ditum eſt, vide apud Garciam in hiſtoriâ aromatum, capite de betele, & areccâ. Tum etiam in cap. decimo octavo de *herpete* pertinaciſſimo ſcribens, Indis dicto *courap*, ſequentem è calce litum feliciter adhibitum eſſe memoriæ tradit:

℞ *Opii* ʒß.
Calcis viv. ex conchyliis uſt. ʒij.

fricentur in marmore cum ſucco pomorum amoris: uſurus abradat cruſtam herpetis, dein abſterſo ichore illinat.

Hæc quidem recenſui, ut firmetur calcium uſus, cum marinâ aquâ, in glandularum morbis.

Porro algæ omnes, cujuſcunque generis, detergent maximè, unde *fucorum* appellationem obtinuerunt. optimus inter eos eſt *quercus marina*, recenter è mari ſumta: ſed cum illius plantæ uſum deſcriptione propriâ notaverim, nihil ampliùs in hoc loco adjiciam. Varia quidem algarum veteres genera recenſent; nimirum, *paleam marinam*, *algam lactuceam*, & *algam fœniculatam tinctoriam*: è quibus hanc adverſus ſcorpionis ictus ſalutarem exiſtimabant. Inde forſan pro Theriace habita eſt, ut affirmat *Nicander*. Noſtri etiam piſcatores vel hodie, cum à *dracone marino*, ſeu *paſtinacâ marinâ* aliquando vulnerentur, nec in promptu ſit ejuſdem piſcis jecur, (quod pro certo remedio habent) ad algas ſtatim in his anguſtiis confugiunt,

giunt, eaſque tumori applicant; quarum quidem auxilio ſedatur vulneris dolor, diſſipaturque tumor. Tradit etiam memoriæ *Gandelius*, incolas *Provinciæ* in *Galliâ* applicare algam partibus corporis contuſis, quæ vi propriâ contuſiones reſolvit: & deinde hæc memorabilia *Plinii* verba citat: *curatum eâ eſſe ſcio, omnibus ferè oſſibus confractis, prolapſum ex altâ arbore putatorem, circumdatâ univerſo corpori, aquam ſuam inſpergentibus, quoties inareſceret, raróque nec niſi deficientem herbam mutationis cauſâ reſolventibus, convaluiſſe vix credibili celeritate.* Vid. *Plin. Nat. Hiſt.* l. xxvii. cap. 8.

Jam autem quamvis non me latet parum valere apud doctos *Plinii* auctoritatem; tamen diſtinguendum eſt, inter illa, quæ aliorum fide tranſtulit, ac illa, quæ propriis oculis ſubjecta fuiſſe teſtatur.

Sed quod ad rem noſtram, ſatis erit ex his deducere, apud veteres, ad diſſolvendos tumores, algas in uſu fuiſſe. quibus teſtimoniis de algis, auctoritatem *Dioſcoridis* addamus. Meminit ille omnes cujuſcunque generis algas ad refrigerandum eſſe aptas, & podagricis præcipuè & inflammationibus utiles; ſcilicet ubi recenter colliguntur.

Halcyonio etiam, ſive *ſpumâ maris*, ut vocant, in iiſdem caſibus utebantur veteres; cujus varia memo-

memorantur genera. illud verò rubri coloris genus optimum fuiſſe affirmat *Dioſcorides*. è materiâ quâdam vermiculis ſimillimâ compoſitum fuiſſe, & *Mileto* allatum, tradit. Veteres hoc cum ſale calcinare ſolebant, & exinde medicamentum quoddam ad abſtergendum accommodatum conficiebant. hoc ſe *Venetiis* vidiſſe teſtatur *Mathiolus*. Ipſe quidem me nondum inveniſſe fateor. ex his autem variæ formulæ facilè componuntur. ſed & ſæpiùs equidem, ad exemplum *Cælii Aureliani*, ſequentem pulverem feliciter adhibui: ℞ *os ſepiæ uſt. pumic. uſt. ſal nitri, corallin. aa p. æ.* Ægris, quorum tenerior eſt ætas, corallinam præ cæteris adhibeo, propter ejus contra vermes excellentiam. teſtatur *Mathiolus* puerum quendam hujuſce auxilio plus centum vermes dejeciſſe. Et ad idem nitrum quoque valere obſervat *Braſavolus*; *in jure drachmam unam & ſemis nitri adhibui; & craſſas materias eduxit, & quandoque mortuos vermes. nam mirum in modum vermes necat; infinitis puerulis ad ſcrupulum unum præbui, & vermes omnes interfecit.* Vid. *Anton. Muſam Braſavol.* de medicament. purgantib. p. 122.

Sæpe etiam medicamenta topica proſunt contra tumores externos. Cum autem fuerint glandulæ pene in ſcirrhos verſæ lotionem ex oleo tartari per deliquium cum aquâ marinâ commiſto

K feli-

feliciter adhibui. Sed ſi vaſorum ſtrictura relaxanda ſit, *Plinii* decoctio ranarum, in aquâ marinâ, emplaſtro de ranis vulgari longè præſtat.

Ipſa verò nobis optimum medicamentum ad reſolvendum ſuppeditat natura, *quercum marinam*, cum anni fert tempus. in menſe enim Julio, naſcuntur veſiculæ quædam, latice lubrico, ſaponaceo diſtentæ; hæ inter manus rumpendæ ſunt veſiculæ: illis perfricandus tumor, donec penitus intraverit humor ille ſaponaceus: poſtremò, lavandus aquâ marinâ, & ad perfectiſſimam munditiem ſiccandus. pari etiam, vel forſan majori vi pollet ſequens fucus, vel ſmegma, quod ſæpius adhibeo. Forma fuci vel ſmegmatis marini hæc eſt:

℞ *Veſicular. querc. marin. liquore ſuo plenar: menſe Julio collect.* ℔*ij*.
Aq. marin. ℔*ij*.

hæc ſtent ſimul in vaſe vitreo per dies decem, vel quindecem, donec fiat liquor, ad ſpiſſitudinem mellis tenuiſſimi proximè accedens. tum cola, & illo liquore glandulas affectas frica (ſub declinatione tumoris præcipuè) bis, terve diebus ſingulis. poſtea ad munditiem aquâ marinâ lava.

Nihil huic methodo præſtat in declinationibus tumorum; durities enim omnes diſſipat.

Jam

Jam autem acidæ omnes formulæ mercurii callofitatem promovent: ut in uſu præcipitati rubri cernere licet. Igitur ut ſcirrhi diſſipentur, in auxilium vocandæ ſunt formulæ cum ſtimulorum quodam genere ſolida non indurantium. Atque hæ ſanè externæ formulæ eò proficiunt, quòd ad diſſipationem ſpectant; atque aptant vaſa ad remittendos humores in tubos largiores: unde ſub leges circulationis redigitur morbus, & faciliùs medici arbitrio ſubjicitur. at verò nocent omnes formulæ, quæ ad ſuppurationem ducunt; & noſtrum præcipuè eſt, vel contra pus cavere, vel tumorem extirpare. nam glandula ſemel ſuppurata ſanguinem inquinat, aliorumque tumorum prima quaſi fundamina ponit. Ideoque præcipuè in uſu aquæ marinæ danda eſt opera, ut corrigatur tam ſolidorum tonus, quàm fluidorum vitium: utriuſque quidem rei ſimul & conjunctim habenda eſt ratio; nam licet multa ſanè vi propriâ poſſit aqua marina, tamen in morbis jecoris glandularibus, aut renum, adhibenda ſunt remedia ſaponacea: nimirum ut illorum auxilio diminuatur rigiditas fibrarum; ut canales magis fiant lubrici; & calculi vel à jecore, vel à renibus, faciliùs in egreſſu hauſtui ſalino cedant. quod ſi minima febriculæ, puriſve in viſceribus naſcentis oriatur ſuſpicio, ſaponem, & ſales lixivios ejicio,

& in venæſectione, & catharticis ſalinis ſpem omnem pono. Aqua marina putredinem reprimit, nec apoſtemata tantùm excitare ſolet, quantùm illa cathartica è reſinis: ut ſupra obſervavi.

Præter hæc detergit optimè, diſcutitque aqua marina. Simulque humiditates à glandulis diſtentis educit. *multi hydropicos ſale curavere, & tuſſim veterem linctu ejus diſcuſſere.* Plin. l. xxx. cap. 9.

Nec veteres quidem latuit uſus ſalis contra putredinem: namque illam ſub linguâ teneri jubebant omni mane, donec ſalivæ ope diſſolveretur. Proinde dentes, gingivaſque illo purgabant; ad reprimendas eroſiones, putredineſque omnes. Et quidem dentifricium egregium eſſe inde puto, quòd inter innumeras mulieres, quæ victum quotidie, eruendis conchis, ad littora quæritant, vix unam invenies, cujus putridi ſint dentes. contra autem firmæ ſunt plerumque gingivæ, pulmones ſani, tuſſique ſcorbuticâ liberi. Idque præcipuè ipſis inde contigit, quòd aer ſalinis undique particulis è maris ſuperficie effluentibus, vel potiùs ab undarum flictu eliſis, abundat. nam parùm, vel nihil etiam ſalis marini per calorem ſolis exhalatur.

Jam verò hujuſce methodi uſum in *Bronchocele* iniquum eſſet ſi præterirem; quippe quia mul-

multum ita prodeſt. Et quidem inter ſcribendum, literas ab amico doctiſſimo D. *Lee* accepi, quæ inter alia hæc etiam confirmant: "*In variis* (inquit) *morborum generibus, non mediocrem opem aqua attulit marina: in ſcorbuticis autem & ſtrumoſis ea præſtat hæc medicina, quæ ab aliis quibuſvis fruſtra forſan deſideres.* Bronchocele, *quæ per multos annos ita penitùs inſederat, ut ſpiritus tam loquendo quàm movendo plus ſatis laboraret, unico hoc remedio curationem recepit. Ipſam lepram, ubi totius ferè corporis pars ſumma maculis, ſquamuliſque exaſperata eſt, bibendo lavandoque, bis novi ſanatam. Hoc interea minimè te latet, hoc etiam alios intelligere oportet, eadem auxilia ægris omnibus, non magis quàm morbis omnibus convenire: faciliùs certè ſæpiuſque convenient, ſi ingenium exercitatum, & quædam paulo ſubtilior obſervatio adhibeantur.*"

Cum verò *Bronchocele* diutius inhæſerit, in ejus cellulis humores plerumque quidam extravaſati continentur; quos neceſſe eſt chirurgi manus tractet.

Interim radi caput, collumque aeri frigido exponi, atque algâ humidâ fricari ſuadeo, ſub declinatione tumorum glandularum concatenatarum. nihil enim, quoad ipſe judicare poſſum, partium morbidarum tonum æquè debilitare ſoſet,

ſet, ac velaminum calidorum uſus. totum ſanè veſtium, cibi, aeris, & medicamentorum regimen, frigidum eſſe oportet: quod ſæpe ſcirrhos, cancroſque reprimit. Nam aeris ſtatus calidior frequentiùs hoſce morbos apud incolas *Aſiæ* procreat, quàm apud gentes magis ſeptentrionales. *Quoad externas cauſas, aer eligatur frigidus & humidus, potiſſimum frigidus. ob id in Germaniâ raro, in Aſiâ frequenter cancri oriuntur.* Vid. *Fabric. ab Aquapend.* p. 120.

Pueri ſæpe ad me adduci ſolent, debiles, palliduli, capillis denſis, & demiſſis per colla, undique cautiſſimè circumtecta, ne delicatuli frigore enecentur; totâ denique corporis texturâ relaxatâ veſtium calore, ſudoribuſque nocturnis. hos ad parentes remiſi, capillis reciſis, collis nudis, vultuque florentes juvenili; quum ſcilicet membra priùs balneo marino firmaverint.

Hæc repetere libet, ut perſuadeam parentibus, ne amore inepto ducti, prolem naturâ firmam, robuſtamque, cunarum velamentis calidis enervent, & quaſi obruant.

Jam & marina aqua in alvi quoque conſtipatione optimum eſt remedium. Proinde autem evacuatis per ejus opem inteſtinis, ablatiſque cruditatibus, quæ alioquin viſcera morbida opprimerent, exitum faciliorem, minúſque moleſtum ſabulo, & calculis è ductu biliario, reddit.

Et

Et jam fidem, lector humaniſſime, vereor ne pluſquam velles fusè, liberavi; quidque poteſt, & quid non poteſt aqua marina fideliter, & ut potui, indicavi: ſed ubicunque vel minima dubitandi cauſa inciderit, ibi vel omnino ſilui, vel meam ipſe ſum confeſſus ignorantiam. nullas ſanè conjecturas, nulla mea ſomnia, tibi obtrudens. Præterea quas infra habes ægrotantium hiſtorias, eæ vel meis, vel amicorum oculis, quîs pariter ac meis confido, ſubjectæ ſunt. & licet non pari quidem ſucceſſu ubique utamur, tamen majorem in hâc, quam in aliâ ullâ methodo, ſpem pono.

Sed cum fortaſſe quibuſdam non injucundum fuerit illud quoque ſcire, unde primùm in hujuſce medicamenti obſervationem inciderim; quibuſque proinde auctoritatibus ductus ad ejus uſum inveſtigandum animum appulerim, lubet pauca quoque de hâc re ſubnectere.

Primùm igitur omnium animadverteram diu, maris accolas, in morbis ventris inferioris, & in his præcipuè, qui à vermibus oriuntur, marinam aquam in auxilium vocare: tum & *Dioſcoridem* virtutibus ejus recenſendis caput integrum impendiſſe, videram. Sed & illum, & *Plinium* quoque, vel receptas vulgariter opiniones in libros ſuos tranſtuliſſe, vel ejus medicamenti vires parum

parum perſpexiſſe, parumque uſu proprio comprobaſſe reperi. Idque mihi vel lucidiſſimè perſuaſum fuit, quòd feliciter à maris accolis eam aquam adhibitam eſſe intuebar. cæteroquin uterque eorum egregias profectò de viribus ejus obſervationes ſignificavit: quæ mihi ſedulò rem eam inquirenti viam quaſi commonſtrabant.

Præter hæc ſalem *Glauberii* in morbis plurimis cutaneis optimam eſſe catharſin expertus, marinam quoque aquam in ſimilibus caſibus tentare mecum ſtatui. & in morbis profectò cutanearum glandularum egregium medicamentum eſſe ſtatim comperi.

Deinde anno 1730 anonymi auctoris librum, ſub titulo *Comitis Domeſtici*, prælo mandatum perlegi. laudatur ibi marinæ aquæ uſus, & pro catharſi nautis maximè idoneâ commendatur. Denique quibuſdam abhinc annis, ortâ ejus rei inter fabulandum mentione, D. *Webb* vir perhumanus, & chirurgus peritus, qui & ejus medicamenti vim expertus fuerat, me quoque ut illud ulteriùs tentarem, & ſubtiliùs excolerem, hortatus eſt.

Et hæ ferè ſunt rationes, auctoritateſque, quæ meum animum ad marinæ aquæ uſum, & excitabant primùm, & deinde confirmabant.

Atque in hanc profectò rem, laborem multum

tum, & ſtudium, & diligentiam impendi; varia, & infinita ferè experimenta repetendo. lubet autem priùs adnotare quàm ad hiſtoriarum recenſionem tranſeam, præſcripta quidem omnia è pharmacopæorum officinis eſſe excerpta: & unam ſolummodo cujuſque generis hiſtoriam è cæteris plurimis ſelectam eſſe; ne ſcilicet lectori, ſi largior fuerit curationum ordo, tædium fortaſſe commoveam.

HISTORIA I.

De glandulâ pulmonis maturatâ, cum tonſillis largis, & tumoribus ſcrophuloſis in collo, & juxta aurem.

Accersebar ad puerum annos natum duodecem, valde emaciatum febre hecticâ, quæ à pure in pulmone retento inceſſerat. Tuſſis aderat ferè perpetua, ſputatio nulla; ſed ſumma in ambulando difficultas. Tonſillæ erant largiores, collum tumoribus ſcrophuloſis refertum; quorum unus & alter, juxta aurem, durus admodum erat, & dolore puerum excruciabat.

Ne procederet abſceſſus ulteriùs, venæſectionem inſtitui; pueroque deliquium ferè patiente, (ex venæſectione ſcilicet) ſequebatur vehemens tuſſiendi, & vomendi conatus; quo ruptum eſt apoſtema, & aliquantulum puris ejectum in terram. Idem hoc autem plus ſemel eveniſſe memini. Cum enim ex venæſectione reſtituitur elaſticitas parti affectæ, pus ſtatim ejicitur. Deinde dedi quæ ſequuntur:

℞ *Sperm. ceti* ℈j *ſal. nitri gr. viij corallin.* ℈ß *aq. lact.* ℥iß *cinam. ten.* ℥ß *ſyr. balſ.* ʒi *m. f. hauſt. ter die ſumendus.*

℞ *Sperm. ceti ℈j margarit. ppt. ℈j ſacch. perlat. ℈ß m. f. pulv. mane & nocte ſumend. in cochl. j. lact. aſinin. ſuperbibendo hauſtum ejuſdem.*

Horum uſu, & equitatione parum vehementi, pulmo ſe purgabat, &, ſublatâ cauſâ, febris hectica tollebatur. Tuſſi verò exiguâ reſtante, ad oppidum mari vicinum *Brighthelmſtonienſe* tranſferebatur æger, ut præſto eſſet medicamentum curationi obſtructionum deſtinatum. Tum primò catharſin ex ſale *Glauberii*, & mannâ ſumſit: & deinde hanc inivit methodum:

℞ *Æthiop. mineral. gr. xx milleped. gr. viij lac. ſulph. gr. vj pulp. caſiæ fiſtul. q. ſ. f. bol. horâ ſomni ſumend. bibendo ℔ß aq. marin. mane ſequent.*

℞ *Tinct. milleped. cum tinct. ſalis tart. parat. ℥ij ſumat cochl. minim. (i. e. a tea ſpoonful) horâ unâ ante prandium, quotidie in cyatho aquæ* Briſtolienſ. *pauxillo vin. rhenan. commixto.*

Hæc ter quaterve alvum ducebant. Cibi deſiderium rediit; corpus ali incœpit; collique & tonſillarum tumores decreſcebant. Mox caput radendum præcepi: collum minimè calidum ſervandum

vandum eſſe, & tumores lavandos quotidie lotione ſequente:

℞ *Ol. tartar per deliq.* ℥ß. *Aq. marin.* ℔j *m. f. lotio.*

Atque hâc quidem ratione tumores gradatim tollebantur. Sub finem autem diſſipationis, collum & partes affectas *quercu marinâ* è mari recenter ſumtâ, & proprio ſapone imbutâ, perfricari juſſi. Atque ita quidem tumores citò omnino evanuerunt. Dein, continuato per menſes tres aquæ marinæ potu, balneum frigidum præſcripſi. Puer cum ſociis ſuis nare conſuevit in mari, atque inde robuſtior, & laboris patientior evaſit, & reſtitutâ valetudine abiit.

Hujuſce morbi hiſtoriam latiùs tractavi, ut inde judicare liceat, in quo morbi tempore aquam marinam præſcribere ſoleo; & ut pateat quàm commodus ſit uſus hujuſce cathartici per menſes aliquot. Quin & notandum eſſe videtur, ſitim, quæ primò poſt hauſtam aquam ſupervenit, uſu ferè evaneſcere. Sufficiunt hæc ad tractationem glandularum pulmonis in ſtatu maturationis. Tamen obſervandum eſt, niſi pus rejectum fuerit à pulmone, minimè valere aquam marinam; & niſi hujus potatione perpetuâ à novis fluxionibus præcautum ſit, partes debiles non poſſe recupe-

rare

rare ſtatum priſtinum: unde neceſſe eſt ut recrudeſcat morbus.

HISTORIA II.

De glandulis morbidis, non ſuppuratis.

Ad me venit famulus nobiliſſimi Ducis. ---- Tumor illi erat largus, ab aure ad claviculam pertingens: quem quidem ex traduce ſuſpicabar eſſe, quoniam pari modo ſoror ejus afflicta fuit. Sed quoniam ægrotus ille, abuſu calomelani, febrem hecticam contraxerat, ad vicum *Brighthelmſtonienſem* ipſum tranſtuli. Tum, ſectâ priùs venâ, mox dedi quæ ſequuntur:

Mitt. ſang. ℥viij.

℞ *Æthiop. mineral. ℥ij milleped. ppt. ʒijß ſpong. uſt. ʒij lac. ſulph. ʒij conſ. paronych. ʒvj ſyr. roſar. ſolut. q. ſ. f. elect. de quo ſumat quantitatem nucis moſchat. mane & veſperi, bibendo* ℔j *aquæ marinæ poſt matutin. doſin.*

℞ *Tinct. ſal. tart. ʒvj tinct. croci ʒij. m. ſumat. cochl. minim. horâ unâ ante prand. in cyath. vin. rhenan. veteris.*

Colli

Colli tumores concatenati evaneſcebant; tumor iſte largus, cæterorum quaſi radix, diminuebatur. Reſtabat autem glandula quædam parva, ſine dolore aliquo: quæ tamen ita erat polita, læviſque, ut verè ſcirrhus eſſe videretur. Nolente autem ægro ut extraheretur, vere proximo matureſcere cœpit. Tum aperiebatur apoſtema, curâ D. *Mercer* chirurgi; capſula glandulæ detergebatur; atque ita æger convaluit, nullo renaſcente tumore uſque adhuc: quamvis morbi reſurgendi periculum ſit.

HISTORIA III.

De glandulis genu tumefactis.

Ad ægrum quendam vocabar, tumore articuli genu ſatis largo laborantem; qui quidem tumor methodi vulgaris viribus omnino reſiſtebat. Habitus erat robuſtus, pinguis; pulſus quietus; exiguus tantùm dolor partis affectæ; quamvis ea officio ſuo minimè fungi potuit, ob craſſitudinem articuli, fluxionemque, quæ per menſes octo inceſſerat. Sed vel is, ſequenti methodo, reſtitutus eſt.

Præſcripſi (poſt venæſectionem) emeticum ex ipecacuanhâ, & turpeth. minerali, ſemel in ſeptimanâ; & diebus cæteris electuarium ſequens cum aquâ marinâ:

℞ *Æthiop.*

℞ *Æthiop. vegetabil.* ʒiij *oſ. ſepiæ uſt.* ʒiij *corallin.* ℥ß *milleped. ppt.* ʒij *conſ. paronych.* ℥iß *ſyr. è 5que radicib. aperientib. q. ſ. f. elect. de quo ſumat quantitatem nucis moſchat. bis die, bibendo* ℔j *aquæ marinæ mane ſequenti.*

Pars affecta quotidie tergebatur recenti unguento nutrit: &, decreſcente tumore, balneum frigidum in mari, frictio quoque levis *quercûs marinæ*, ut corroboraretur pars affecta, uſui erant. Hôc modo expugnabatur tumor, & exinde homo ſine moleſtiâ ambulabat.

HISTORIA IV.

De glandulis ciliaribus tumefactis.

Opthalmiæ, & lippitudines, quæ à diuturnis fluxionibus in glandulas palpebrarum oriuntur, medico & chirurgo moleſtiſſimæ ſunt, ſeu ſtrumas, ſive ſcorbutum pro cauſâ habeant. Quoniam autem omnes hâc methodo debellantur, difficillimas ſolùm hujuſce generis obſervabo; ſcilicet ubi conſociantur.

Accerſebar ad virum quendam annos quadraginta duos natum; ægrotabat opthalmiâ atque lippitudine, à fluxione diutinâ in glandulas palpebrabrum. Vaſcula membranæ conjunctivæ largiores

giores erant, ita ut dependere viderentur, & fungi ſpecimen gererent. Cornea ulcere infici cœpit. Hîc venæſectionem ter quaterve, debitis intervallis, inſtitui: fontanellæ in nuchâ aperiebantur: & methodus ſequens inibatur:

℞ *Æthiop. mineral. ℥ij æthiop. vegetabil. ʒiij milleped. ʒij coral. r. ppt. ʒiij ſyr. viol. q. s. f. elect. de quo ſumat quant. nuc. moſchat. mane & veſperi, bibendo ℔j aq. marin. poſt matutin. doſ.*

Æger erat habitu robuſtus, pulſu quieto; & evacuationem diuturnam ſine incommodo ſuſtinebat. Fluxio ſtatim imminuebatur; &, præſcriptis ſupra dictis, homo ſanitati reſtitutus eſt. Et eos quidem caſus à naturâ frequenter alleviatos eſſe *Lommius* obſervavit. "*Lippitudine affectum alvi corripi profluvio, bonum.*"

Tandem, evaneſcente fluxione, tempora, palpebræ, & frons quotidie quercu marinâ fricabantur, vel aquâ marinâ frigidâ perfundebantur, aliquamdiu poſt valetudinem recuperatam. Jam per annos ſeptem conquievit morbus; quamvis ante hanc curationem, quandocunque frigore læderetur æger, ſolebat ingraveſcere. Vidi etiam aliquando huic morbo comitem paroxyſmum febris intermittentis: iſque non niſi cortice peru-

viano fugari potuit. Sed in caſu paulo ante memorato parum valuit cortex.

Jam & alius quidam nunc inter ſcribendum adeſt, ad quem olim vocatus fui. Fungum habuit à palpebrâ ſuperiori detruſum externè: invertebatur palpebra inferior, oculo proinde cooperto. Poſtea, ubi remiſerat humorum fluxus, obſervavi ulceratas eſſe oculi tunicas, & lippitudinem utriuſque palpebræ, ab excoriatione provenientem. Æger ſequenti methodo convaluit:

Mittatur ſanguis ad ℥xij.

℞ *Spongiæ calcin. oſ. ſepiæ ppt. aa ℥ß milleped. ppt. ʒiij æthiop. mineral. ℥ij conſ. paronych. ʒx ſyr. viol. q. s. f. elect. de quo ſumat q. n. m. mane & nocte, bibendo aquæ marinæ ℔j poſt electuarii matutinam doſin.*

℞ *Cadmiæ ppt. ſal. nitri, aa ʒij mucilag. ſem. cydonior. q. s. f. litus, palpebræ affectæ quotidie illinendus.*

HISTO-

HISTORIA V.

De ozænâ ſcrophuloſâ, cum tumore labri ſuperioris, & eruptionibus ſcorbuticis genas inficientibus.

Ad me venit vir quidam expertus ante quid mercurius dulcis, cæteraque ejus generis medicamenta, per ſe poſſent. Morbus inde nequaquam levior: immo in pejus ceſſit. Namque præter ozænam, ſubnaſcebantur tubercula quædam peſſimi coloris juxta naſum, malas, labrumque ſuperius. Oppilati nares erant, atque ita incruſtati, ut, niſi per os, impediretur reſpiratio. Morbus omnino expugnatu difficilis erat: ſed tandem ſequenti methodo ceſſit, ubi datus eſt mercurius dulcis per menſes aliquot cum marinâ aquâ; ſed iſte, parvâ doſi ſolummodo.

℞ *Sal. glauber.* ℥j *in aq. lact.* ℥iß *ſolut. aq. pæon. comp.* ℥ß, *ſyr. viol.* ℥ß *m. f. hauſtus mane ſumendus cum regimine.*

℞ *Æthiop. vegetabil.* ℥ß *milleped. ppt.* ʒij *pumic. uſt.* ʒj *oſ. ſepiæ uſt.* ʒij *æthiop. mineral.* ℥ij *conſ. paronych.* ʒx. *ſyr. viol. q. s. f. elect. de quo ſumat q. n. m. mane & nocte, bibendo* ℔j *aq. marin. poſt matutin. doſin.*

 Æger

Æger fiebat indies melior: ſed cum tandem eum electuarii tæderet, curationem ope pilularum ſequentium cum marinâ aquâ perfeci.

℞ *Camphor.* ʒß *carn. viperar.* ʒij *ſcamon. ſulphurat.* ʒiß *calomel.* ʒj *ſyr. de ſpin. q. s. f. pil. x ex ſingul. drachm. quarum ſumat ij ſingul. vel altern. noct. horâ decubit. bibendo* ℔j *aq. marin. mane ſequenti.*

Notandum eſt, quòd curatione tumorum perfectâ, utebatur litu cum marinâ aquâ & quercu maris, ad confirmandas partes adhuc debiles.

HISTORIA VI.

De variis cutis defœdationibus.

Ad mulierem accerſebar affectam eruptionibus ſcorbuticis ad aures, & faciem; à quibus plura quotidie lintea fœdabantur. Eruptionibus partim cruſta farinacea lutea inducta fuit. Multa remedia in auxilium vocaverat, ſed indies tamen pejor fiebat. Tandem autem in maris vicinitatem ſe tranſtulit, & ibi ſumſit omni mane remedia antiſcorbutica, & aquam marinam: cutis etiam detergebatur quercu marinâ à littore decerptâ. Atque hâc quidem methodo intra duos menſes mulier convaluit.

HISTO-

HISTORIA VII.

De leprâ humidâ.

Mulier, cui habitus mirè fuit ſcorbuticus, ſub ſpecie quâdam lepræ humidæ, jam annum nonum decimumve egerat. Multi, neutiquam rei medicæ imperiti, ad expugnationem morbi diligenter animos intenderant; ſed parum feliciter. Colluvies humorum per cutim tranſmiſſa, uberrima, & quodammodo adunata fuit; præcipuè verò per caput, faciem, cervicemque. Ad hæc, aures propter inſolitum tumorem erectæ adeo à capite prominebant, ut ſatyrorum, quas ſomniaverunt poetæ, auriculas ferè æmularentur. Denique corporis univerſa ſpecies fuit fœda, atque inhoneſta.

Antiſcorbuticorum uſum cum aquâ marinâ adhibendum ſuaſi. Morbus expugnatus eſt curâ D. *Newington*, chirurgi; cujus inter ſcribendum literæ mihi allatæ ſunt. Fortunam methodi laudat, quòd, ſumtâ per menſes duos tantùm aquâ marinâ, mulier convaluerit, & in hunc diem, annum jam à curatione integrum, nulla morbi recrudeſcentis ſigna perſenſerit. Pari ferè modo laboravit uxor, *D. H.* præfecti navalis, quæ alterantium ope, & aquâ marinâ, curata eſt; teſte D. *Snaſhall* chirurgo.

HISTO-

HISTORIA VIII.

De leprâ aridâ.

Puella, ætatis anno duodecimo, leprâ aridâ laborabat. Pars ſumma capitis, totumque corpus maculis albidis, furfuraceis aſpergebatur. Dedi quæ ſequuntur.

℞ *Calomel. gr. vj camphor. gr. j conſ. paronych. q. s. f. bol. ſextâ quâque nocte ſumend. bibendo hauſtum cathart. mane ſequenti.*

℞ *Decoct. ſennæ* ℥*ij mannæ* ʒ*iij ſal. glauber.* ʒ*ij aq. pæon. c.* ʒ*ij ſyr. roſar. ſolut.* ʒ*ij m. f. hauſt. cathar.*

℞ *Carn. viperar.* ℈*j camphor. gr. j conſ. roſ. rub. q. s. f. bol. ſing. noct. horâ ſomni ſumend. bibendo* ℔ß *aquæ marinæ mane ſequenti; diebus à calomelan. bol. vacuis.*

Intra dies quatuordecem eruptiones deſquammari cœperunt: morbuſque hic moleſtiſſimus, intra menſem ſecundum ſine alio ſubſidio, hâc methodo ſolâ, fugatus eſt. Quâ pervulgatâ curatione, alius ad me venit æger eodem morbo afflictus; cui & hæc quoque ratio ſtatim medebatur.

HISTO-

HISTORIA IX.

De eruptione ſcorbuticâ, lepræ humidæ ſpeciem gerente.

J. P. cujus jam facta eſt mentio, laborabat morbo venerei generis; ſed à curatione ejus optimè ſe habuit per annos aliquos, donec eruptiones iſtæ apparerent. Erant autem univerſales; & partim incruſtatæ, partim humidæ. Primò caput & lacertos, deinde crura ipſa occupabant; adeo ut ne veſtes quidem ferre potuerit. Pauper admodum erat, & ad noſocomium *Divi Thomæ Londinenſis* miſſus eſt, in curam medici peritiſſimi. Salivationem ab unctione ſubiit. ſed, ut ſuperiùs notavi, rediit hecticus & emaciatus: eruptiones irritatæ, & pejores à ſalivatione factæ ſunt. Sequenti methodo curabatur:

℞ *Æthiop. vegetabil.* ʒiij *flo. ſulph.* ℥ß *oſ. ſepiæ* ʒiij *conſ. malv.* ℥iß *ſyr. viol. q. s. f. elect. de quo ſumat quant. nuc. jugland. ſing. noct. horâ ſomn. bibendo* ℔j *aq. marinæ mane ſequent.*

Dilucidè admodum apparet, morbum hunc nequaquam generis fuiſſe venerei, ut putabatur; quoniam *mercurius* ad palliationem nullius fuit

com-

commodi. Et quia neque *mercurium*, nec *æthiopem mineralem* ad curationem poſtea præſcripſimus, videre licet quam vim habeat methodus hæc in morbis ſcorbuticis, ubicunque *mercurius* non reſpondeat.

HISTORIA X.

De gonorrhæâ.

Quod dicturus ſum de hujuſce morbi curatione per marinam aquam, non adeo confidenter profero, quoniam non ita crebrò eum hâc ratione tractavi. Tamen id medicæ artis ſtudioſorum conſiderationi commendo, quod remedium in his caſibus futurum maximæ utilitatis auguror.

Dedi autem, contra gonorrhæam virulentam, quæ ſequuntur.

℞ *Calomel. g. xv. camphor. gr. iij pulp. caſiæ fiſtul. q. s. f. bol. horâ ſomn. ſumend. bibendo* ℔j *aq. marin. mane ſequent.*

Ita ſtatim acrimonia reprimebatur, ſumendo etiam bis, terve die, pulverem ſequent.

℞ *Sal. prunel. ſacch. cand. alb. aa* ℥ß *ſumat* ʒj *in aq. hord.* ℔ß *bis, terve die.*

Poſtea,

Poſtea, curatio ope balſam. copayb. & ſacchar. alb. perficiebatur; quamquam eo ipſo non opus videbatur; nec id tam eſſe neceſſarium exiſtimo poſt hanc, quàm poſt vulgarem methodum. aliud enim neſcio quid boni efficere ſolet aqua marina, præter alvi ſolutionem: & ut nitrum in *ſale Polychreſt:* vel ſal. prunell. ſtranguriæ ſolet opitulari; ſimiliter & ſulphurem, ſalemque, quæ marina aqua in ſe continet, commoda eſſe puto. ſaltem catharſis ſalina inflammationem non auget, ſed reprimit potiùs. Interim duos treſve tantùm hujuſce generis caſus me tractaſſe fateor.

HISTORIA XI.

De herniâ humorali.

Accerſebar ad quendam laborantem herniâ humorali; quæ acceſſit à ſuppreſſione gonorrhææ. Curatus æger eſt ſequenti methodo:

Mittat. ſang. ad ℥xij.

℞ *Rad. ipecacuan. gr. xx turpeth. mineral. gr. iij conſ. roſar. rub. q. s. f. emetic. pro re natâ ſumend. bibendo* ℔j *aquæ marinæ, primo mane, diebus ab emetic. liberis.*

N ℞ *Farin.*

℞ *Farin. fabar.* ℔ß *aquæ marin.* ℔ij. *coq. ad conſiſtentiam cataplaſm. ſub finem addendo unguent. nutrit.* ℥iij *f. pult. loco affect. applicand.*

Subſedit tumor, neque ullum apparuit mali ominis ſymptoma. ſed, ut ſupra notavi, hæc ad confirmandam hujuſmodi praxin non ſufficiunt; via tantùm futuræ experientiæ quaſi recluditur.

HISTORIA XII.

De glandulis uterinis morbidis.

Vidi non ita pridem fluorem album, ſatis pertinacem, quem tamen curavi balneo marino, potatione aquæ marinæ, cæteriſque, quæ ſequuntur.

Mittat. ſang. ad ℥vj.

℞ *Rad. ipecacuan.* ℈iß *aq. cardui* ℥ij *oxymel. ſcillit.* ʒj *m. f. potio emetic. pro re natâ ſumend.*

℞ *Spodii* ʒß *vitel. ov. cum albumine q. ſ. aq. cinam. ten.* ℥iß *cinam fort.* ℥ß *ſacch. cand. alb.* ʒj *m. f. hauſt. mane & nocte ſumend. bibendo* ℔j *marinæ aquæ, ſemel, vel bis in ſeptimanâ.*

Jam

Jam obſervandum eſt, quòd purgationem per marinam aquam, quoties æger haud moleſtè fert, præcipuè ſi conſtipatur alvus, præſcribere ſoleam. interdum quoque ſequentem injectionem præcepi.

℞ *Balſam. copayb. ℥iij in s. q. ovi vitel. ſolut. aq. marinæ* ℔j *m. f. injectio.*

HISTORIA XIII.

De teneſmo cum dejectionibus ichoroſis.

Mulier quædam, annos nata triginta, ſuppreſſione catameniorum laborabat. Glandulæ plures à diuturnâ chloroſi morbidæ erant; & tumores aderant œdematoſi in cruribus, & facie. Glandulæ recti etiam adeo erant tumefactæ, ut, obſtructo exitu, in dejiciendo morti ferè parem dolorem ægra ſuſtinuerit. tum & perpetua ichoris emanatio, excruciante teneſmo, mala cætera comitabatur. ſequenti præſcriptione mulier convaluit; menſtruaque ad periodum ſalutarem reſtaurabantur.

℞ *Lac. ſulph. gr. x. æthiop. vegetabil.* ℈ß *ſperm. ceti* ℈j *m. f. pulv. mane & nocte ſumend. bibendo* ℔j *aq. marin. poſt matutin. doſin quotidie.*

Quoniam hîc glandulæ inteſtini recti induratæ, & fluxus acer teterque cancri ſuſpicionem præbuerunt, ab hâc curatione ſatis eluceſcere puto aquæ marinæ vires in diſcutiendis tumoribus recentibus glandularum inteſtinarum. Mulier enim, à ſanguinis ſtatu maximè vitiato, pluribuſque obſtructionibus, hujus ope liberabatur. unde deducere poſſumus, nec temerè; non revulſione tantùm, ſed & aliis viis, aquam marinam opitulari.

HISTORIA XIV.

De rheumatiſmo ſcorbutico fixo, pedes & genua occupante.

Navis præfectus, cui habitus plenior, podagræ & rheumatiſmi ſcorbutici paroxyſmis per multos annos afflictus fuerat. ab his, articuli ſunt facti rigidi, glandulæque eorum, à diuturnis crebriſque paroxyſmis diſtenſæ; crura ſcorbuto valde obſeſſa, & tumefacta erant, adeo ut ægrè quidem poſſet prorepere. Electuarium præſcripſi ex æthiope minerali, gum. guiac. pulv. ari. com. &c. cum aquâ marinâ quotidie ſumendum. Æger, horum uſu, diminutâ articulorum craſſitie, convaluit.

Ex his liquet, quâ ratione aqua marina curationem

tionem aggrediatur; nempe aperturâ novæ ſecretionis, & alleviatione partis morbidæ.

HISTORIA XV.

De glandulis tumefactis in collo, cum ulcere carpi.

Liquet ex ſequenti curatione, quanti ſit emolumenti hoc remedium, in ulceribus fluxione aliquâ conſtipatis. Vir quidam ægrotabat: glandulæ erant ſcrophuloſæ in collo, & tumor ulceratus ad articulum carpi; ſed convaluit, ſumto electuario ex æthiope minerali, & aquâ marinâ ad depurgandum. & hoc quidem remedium in illis caſibus tam certò valet, ut D. *Webb* chirurgus Londinenſis, cujus alibi facta mentio eſt, in literis nuper ad me datis, cæteris hæc quoque addat: *illud autem*, inquit, *pro certo compertum habeo, aſſeroque, ubi morbus in oſſibus carpi vel metacarpi, tarſi, vel metatarſi, ſedem ſuam fixerit, eam rationem ubique valere.* Ibidemque ait, *cubiti morbum pertinacem eâdem methodo curatum ſe vidiſſe.*

Cum autem fluxio derivata fuerit ab affectâ parte, in aliam aliquando incidere ſolet. idque quidem in ægro ſupra memorato evenit. perfectâ enim illius curatione, tumor largus, & durus, in genu (parte interiore) cœpit exiſtere. ſed iiſdem

dem remediis, quibus antea (licet tumor ille duritiem ferè oſſis æquaret) ſanatus eſt. Atque in altero etiam ægro ferme eadem contigiſſe memini curante D. *Mannings* chirurgo.

HISTORIA XVI.

Ad me venit, hortante viro inſigni D. *Saint-hill*, ut aquam marinam experiretur, vir generoſâ ſtirpe natus. tumor poſt aurem largus, & in collo plurimæ glandulæ induratæ. antequam ad me acceſſit, à mercurialibus aſſiduè, & fruſtra, auxilium petiverat. non autem illa, quæ ſupra memoravi, ſola erant expugnanda: tumor enim iſte largior ulcus adhuc incuratum retinuit. Præſcripſi alterantia cum aquâ marinâ, & fuci marini embrocationem; quâ ſcilicet diſſiparentur ſcirrhoſitates. exacto menſe tertio, glandularum tumores evanuerunt, &, inſtituto ſub finem balneo in mari, ad integritatem æger reſtitutus eſt. ſed cum hîc acceſſerit apoſtema, morbum aliquando rediturum ſuſpicor.

HISTORIA XVII.

Juvenem ad me miſit D. *Webb* chirurgus Londinenſis. ſub claviculâ glandulæ erant tumefactæ; quarum una ovi, ut opinabar, exigui magnitudinem æquans, altiùs exſtabat: & juxta illam

lam, unum è tuberculis, maturato pure, ruptum. lenientibus curari vulnus juſſit chirurgus eminens ſupradictus. cum æger aquam marinam, & ſimul alterantia per menſes duos ſumſiſſet, integer abiit; addito, pro more, ſub finem balneo maris. nullus omnino apparuit tumor, nulla morbi veſtigia; niſi quod, ubi ruptum fuerat tuberculum, reſtaret durities quædam perexigua, novi quandoque fortaſſe apoſtematis ſedes. obſervare enim ſoleo, ſæpius renaſci ſtrumas juxta veteres cicatrices, donec penitus glandulæ capſula à pure fuerit exeſa, atque depurgata. illud etiam veteres medici obſervabant, auctore CELSO; *plerumque ſtrumæ iterum juxta cicatrices ipſas reſurgunt.* l. v. c. 28. ſect. 7.

HISTORIA XVIII.

De leprâ aridâ, furfuraceâ.

Vir quidam ad me venit correptus leprâ aridâ, furfuraceâ. in manibus erant fiſſuræ frequentes, & unguium incurvatio: & à ſummis digitis ad carpum graſſatus fuerat morbus. multa infeliciter medicamenta in auxilium vocata, inter cætera aqua marina; tamen ope æthiopis vegetabilis, carnis viperarum, & ſuccorum antiſcorbuticorum, morbi vis fracta fuit. Multi quidem è genere ſerpiginis morbi, aquæ marinæ niſi diu

ſumtæ,

ſumtæ, non cedunt; pauci tamen omnem ejus vim exſuperant. interim rarò poteſtatem hujuſce remedii in his caſibus penitus expertus ſum, quoniam curationis mora plerumque ægrotis tædium parit.

HISTORIA XIX.

Quamvis haud facilè per aquam marinam curatas eſſe eruptiones quaſdam cutaneas ſupra dixi; tamen mihi propinquum quendam hâc ratione ſanatum vidi. Herpete laborabat mali coloris, ſubfuſci, qui per totam hiemem faciem ejus occupaverat. primo vere, jubente amico meo, & medico celeberrimo D. *Wilmott*, electuarium ex antimonio &c. bis die, & aquam marinam proximo mane ſumſit. Medicamenti vis ſpes noſtras præcurrebat: cito enim ad integritatem reſtitutus æger; licet fruſtra carnem viperarum &c. præteritâ hieme ſumſiſſet. ab illo ſanè tempore medicamenta alterantia horâ quartâ pomeridianâ, & horâ ſomni ſumenda præcepi, quoniam plus illis temporis concedi debet ad vires ſuas exerendas, antequam per catharſin evacuentur.

Hæc curatio inſpectioni amici mei humaniſſimi D. *Lewis ex Æde Chriſti*, *Oxon.* viri rei medicæ periti, ſubjecta fuit; cui, & amiciſſimo viro *Jer. Markland*, ob aliquantum temporis à melioribus

ſtudiis

ſtudiis ſubrepti, atque huic opuſculo corrigendo inſumti, grates quàm maximas ago, habeoque.

HISTORIA XX.

Puellam, *Londini* habitantem, circa ætatis annum decimum quartum, glandulæ induratæ in collo, & axillâ, cum apoſtemate utriuſque loci, infeſtabant. ſumto aliquamdiu calomelano, febris hectica, & tuſſis acceſſerunt. rus venit; &, mutatâ ratione, ſumſit æthiopem mineralem &c. cum aquâ calcis, & aquâ marinâ, debitis intervallis. duorum menſium ſpatio, tuſſis, febris hectica, & glandulæ ulceratæ curabantur, & ad urbem pinguior, coloratiorque rediit.

HISTORIA XXI.

Ad me affertur, dum hæc ſcribo, recens quidam, & funeſtiſſimus caſus recti, inferioriſque abdominis, cum glandulis morboſis; quæ paſſionem iliacam notham ſuſcitaverant in muliere, quam paulo ante videram. illam verò gravidam eſſe putabant, cum non niſi ex ſuppreſſione catameniorum, circa menſes abhinc decem, ægra fuerit. tumor, abdomine examinato, mihi viſus eſt è congerie quâdam glandularum morbidarum conflatus, qui redundantium adfluxione per men-

ſes decem eò increverat, rectique viam interclu-ſerat, ut excrementis nullus exitus, præterquam evomendo, patuerit. ſed ipſius chirurgi D. *May-nard*, qui eam (Decembris die 13. 1748.) mor-tuam inſpexit, deſcriptionem ſubjeci: "*Mortua eſt mulier* (inquit) *poſtquam eam videras, Jovis die proximè ſequenti. inſpexi mortuam, tumorem-que glandularum excidi, cujus longitudo, ſex polli-ces; circumferentia, decem vel duodecem fortè; pon-dus, libras tres, paulo minus, æquabat. erat inibi alius etiam tumor, qui alterum illum magnitudine ſuperabat, & recti viam adeo obſtruxerat, ut ali-quid excernere poſſe, nè probabile quidem eſſet.*" Vidi alterum etiam, atque ejuſdem generis ca-ſum, in viro quodam; in quo, recti via adeo in-terclusa erat, ut nè candela quidem exigua ſur-ſum ad tres pollices intrudi potuerit. dierum quadraginta intervallo nihil per alvum redditum eſt. Londinum de eo conſultum miſimus: præ-ſcriptum eſt argentum vivum; cujus libras om-nino tres ſumſit. interim per alvum nihil; om-nia, argento vivo excepto, evomendo rejecta ſunt. per illud omne tempus febris nulla acceſ-ſerat: tandem pulmo inflammatione tentari cœ-pit; donec, ingraveſcente peripneumoniâ, occu-buerit.

HISTO-

HISTORIA XXII.

De mammis excoriatis.

Mulierem quandam, habitu corporis pleniſſimo, ætatis anno ferè quadrageſimo nono catameniorum fluxus deſeruit: mox, vere poſt ſuppreſſa menſtrua proximè ſequenti, utraſque mammas invaſit humorum fluxus, tantâ copiâ & acrimoniâ, ut excoriationem ſtatim efficeret. in mammis, licet inſolitæ magnitudinis eſſent, durities tamen nulla: cutis glandulæ immaniter affectæ, & tuberculum etiam quoddam duriuſculum, & coloris inauſpicati, ſuper claviculam ſiniſtram.

Hæc licet parum fauſta nobis ſigna portenderent, nihilominus fluxionem aquâ marinâ ſubducendam ſuſcepi; & illud opus ſequenti ratione aggreſſus ſum.

Mitt. ſang. ad ℥xvj ſtatim.

℞ *Sal. glauber.* ℥*j in aq. lact.* ℥*iß ſolut. aq. pæon. comp.* ℥*ß ſyr. viol.* ℥*ß m. f. potio cathart. mane ſumend.*

℞ *Æthiop. mineral.* ℥*ij milleped. ppt.* ʒ*ij ſpong. uſt.* ʒ*ij conſ. paronych.* ʒ*x ſyr. viol. q. s. f. elect. de quo ſumat quantita-*

 tem

tem nucis moſchat. mane & veſperi, bibendo ℔j aq. marin. primo mane quotidie.

Unguentum nutrit. partibus excoriatis plumâ leviter induci curavimus, & *Turneri* cerat: è lapide calaminari inter mammas, nè excoriatio ingraveſceret, applicari juſſimus.

Hâc medendi ratione adhibitâ fluxus, qui ſe fore maximè pertinacem minitatus fuerat, minùs quàm bimeſtri ſpatio ſubſtitit: mammis naturalis forma reſtituta fuit; nec una quidem glandula cutanea indurata apparuit. illud autem mali coloris tuberculum ſupra memoratum (quod ſpecies cancri planè fuit) quatenus cernere erat, ratione hâc neutiquam in melius vel deterius ire viſum eſt: ſed annorum plurium ſpatio vel parum, vel nihil immutatum remanſit.

HISTORIA XXIII.

De febre hecticâ à pure retento in pulmone, &c.

Puella quædam, ad ætatis annum duodecimum, adverſâ valetudine uſa eſt. urgebat eam, cum ad me acceſſit, febris hectica; tuſſis dura, & debilis; venter tenſus, reſtrictuſque; urina colore

lore ſubalbido; unde à vermibus ægritudinem ortam eſſe parentes puellæ judicabant. igitur priùs æthiopem mineralem, calomelanum, & helleborum adhibuerant, quàm ad me venerunt; & ut aquæ marinæ methodo conſentirem, me vehementer precabantur. à pure equidem tam in meſenterio, quàm in pulmone detento, puellæ diminutam fuiſſe valetudinem augurabar; tum quoniam in collo glandulas nonnullas tumefactas non ſine quibuſdam quaſi nodis; tum quia febrem hecticam crebris rigoribus concomitatam eſſe obſervaveram. nihilominus, pure jam tum moto, parum mihi liquebat, quo illud modo tollerem.

Dubius tandem conceſſi aquæ marinæ uſum, quæ ſtatim quidem haud magnâ cum moleſtiâ alvum deduxit: at non inde melior rerum facies. namque ingraveſcebat (id ſaltem ſuſpicabar) tum calor hecticus, tum cætera ſymptomata. veritus nè propter medendi rationem hæc fortè invaluerint, aquam marinam ſtatim ei interdixi. ſed vix quidquam immutatâ rerum facie, paulo poſt *Londinum* petiit; ſed medici, quem conſuluerat, hortatu, ab urbe diſceſſum ſuum, quantum potuit, maturavit. ruri poſtea, bimeſtri ferè ſpatio, mortua eſt: quo tempore, morbi cauſam & originem inſpiciendi gratiâ, ſum advocatus.

Pulmo quidem univerſus glandulis exiguis, maturatis plenus, & quaſi interſtinctus fuit, ad

inſtar

inſtar pulmonis in ſue morbilloſâ reperti. largiores autem bronchiæ rami puris adhuc erant expertes, unde nulla ſputatio purulenta huic morbo comes fuit. jecur ſanum atque integrum inveni, meſenterium autem glandulis morboſis conſperſum, quarum plures etiam maturatæ.

Hunc ego caſum eò magis cæteris adnectere volui, ut innoteſcat, quàm parum auxilii vel ab hâc, vel ab aliâ quâvis ratione, ſit expectandum, quandocunque in anguſtiis ſupra memoratis verſetur æger. dixi verò ſupra, largiores bronchiæ ramos puris fuiſſe expertes; nam tumores glandulares, à glandulis in exiguis bronchiæ ramulis ſitis ortos eſſe vidi. ubicunque enim aſperæ arteriæ rami aciem oculorum fugiebant, ibi continuò materiæ purulentæ globulum interſectum eſſe animadverti. ſed in his quidem meſenterii morbis glandulæ priùs vitiari ſolent, quàm ulla medendi ratio ineatur: ubi ſi accedat apoſtema quoque, ſpes omnis remedii, quod forſan ab auxilio medici expectandum foret, vana eſt.

Cum hæc, quo ſe habeant modo, non perſpexerit noſter ille *Sydenhamus*, tumores eos, in pueris rachitide affectis, repetitis catharticis falsò attribuit: qui ſi ſedulò cervicis glandulas concatenatas examinaſſet, vix dubitare poſſum, quin ibi haud obſcura argumenta inventurus eſſet, cur tumores eos, ante ingeſta cathartica, plerumque extitiſſe crederet.

HISTORIA XXIV.

De colicâ cum conſtipatione alvi.

Ad piſcatorem quendam pauperem accerſebar, excrucianti colicâ, atque alvi conſtipatione laborantem. Juſſi quæ ſequuntur.

Mitt. ſang. ℥*viij.*

℞ *Flor. chamæm. mj. coq. ex aq. marin.* ℔*iß ad* ℔*j tum cola --- pro clyſter. ſtatim injiciend.*

Suaſi, peracto clyſtere, hauſtum è mannâ & oleo amygd. dulc. quartâ quâque horâ dandum, donec alvus dejecerit. ſed omiſſus erat hauſtus, ut poſtea audivi, quia clyſterem ſatis per ſe feciſſe compererat æger.

HISTORIA XXV.

De Ictero.

Domina --- ſimul ictero, crebriſque, ab eâdem cauſâ, violentiſſimæ colicæ acceſſibus, plus anno integro laboraverat. *Londinum* adiit; ut inſignem de eâ re medicum D. D. *Lee* conſuleret: ab urbe rediit, morbi atrocis vi nequaquam fractâ. nam-

namque & urinæ color ferè niger, & univerſa cutis lurida fuit. quodcunque in his anguſtiis fieri ſolet, illud omne ſedulò tentaverat. tandem, me hortante, ad viciniam maris ſe contulit, ut aquam marinam ſaponis veneti uſui conjungeret.

℞ *Sapon. venet.* ℈iij *ſal. corn. cerv. gr. vj ſyr. è 5que rad. q. s. f. bol. bis terve in die ſumend. bibendo* ℔j *aq. mar. primo mane, quotidie.*

Sic ventri libera ſervabatur via; colica rariſſimè ægram vexabat; tum naturalis urinæ color rediit; atque è morbo difficillimo mulier inſigniter ſublevata, & reſtituta tandem fuit.

HISTORIA XXVI.

Caſum quendam ægrotanti quinto non ita admodum abſimilem amico meo multùm honorando, medicoque celeberrimo, *Edvardo Hulſe*, Baronetto, ſubjectum memini.

Puellæ cuidam undecenni labrum ſuperius, nareſque intumuerunt; ſed ſumtâ aquâ marinâ tumor evanuit. vere autem proximo, morbo renaſcente D. *Hulſe* conſultum ivit; qui marinæ aquæ rationem denuo repetendam ſuaſit. tum ſequentia præſcripſit, quæ cum ſero lactis, dum

Lon-

Londini ageret puella, & cum aquâ marinâ, poſtea quàm ad oppidum *Brighthelmſtonienſe* ſe contulerat, ſumta ſunt.

℞ *Spong. uſt.* ℈j *rhei. gr. iv. m. f. pulv. mane & veſperi ſumend. ſuperbibend. hauſt. ſeri lactis cum ſyr. violar. edulcorat.*

Atque hæc ſola ſunt, quæ cum aquâ marinâ ſumebantur; quæque ad ſecundum ab incœptâ curatione ver repetebantur. atque ita horum ope tumores ſemper ſuppreſſimus, donec circiter ætatis annum decimum tertium menſtrua evacuatio profluere cœpit. ex quo quidem tempore, quantùm ſcio, nec ozænâ, nec labri illius tumore puella laboravit.

HISTORIA XXVII.

De leprâ aridâ.

Dominum —— Navis præfectum, non multis abhinc annis, mihi mandavit amicus meus, & inſignis medicus D. *Oldfield*; qui contra morbum ingruentem mercurialium ope totis viribus contenderat. ſed ea tamen medicamenta parum profuere. lepra arida utrumque cubitum occupaverat, & per corpus univerſum apparuerant innumeræ ferè maculæ leproſæ, luteæ, furfuraceæ;

quas quidem minùs quàm bimeſtri ſpatio, univerſas ſuſtuli, modò unam excipias, in altero cubitorum adhuc manentem, cum è portu navem deduxit magiſter. at quid ex illo quidem tempore ei contigerit, me prorſus latet. ſequentia præcepi.

℞ *Æthiop. mineral.* ℥iß *antimon. opt. lævigat.* ℥ß *os ſepiæ* ʒiij *milleped. ppt.* ʒij *conſ. paronych.* ʒx *ſyr. viol. q. s. f. elect. de quo ſumat q. n. moſch. bis in die, bibendo* ℔j *aq. marin. primo mane quotidie.*

Hunc verò caſum incertæ futurum eſſe ſpei cenſeo, quoniam non raò animadverterim iſthunc renaſci morbum, donec glandulis cutaneis ſuæ vires reſtitutæ fuerint, vel etiam donec univerſus corporis habitus per aquam marinam immutatus fuerit.

HISTORIA XXVIII.

De eruptionibus cutaneis, cum menſibus ſuppreſſis.

Virgo quædam de eruptionibus in utroque crure queſta eſt: quæ ſingulis ſe menſibus oſtendere, in tumorem aſſurgere, neque multùm profectò ab eryſipelate abludentes, per crura utraque latiùs

latiùs ſerpere ſolebant: donec veſiculis tandem ruptis, ingens humoris ſeroſi copia profluxerit.

Hæc, anno ætatis ſecundo ferè à viceſimo, virginem ægritudo inceſſebat, cum priùs erupiſſet menſtrua purgatio, ſed omnino poſtmodum ſe ſubduxiſſet.

Curationem ſequenti methodo perficere conatus ſum.

Mitt. ſang. ℥*x.*

℞ *Ipecacuan. gr. xx turpeth. mineral. gr. iij conſ. roſ. q. s. f. bol. emetic. ſemel in ſeptimanâ ſumend.*

℞ *Æthiop. vegetabil.* ʒ*vj milleped. ppt.* ʒ*ij oſ. ſepiæ uſt.* ʒ*ij coral. r. ppt.* ʒ*iij conſ. paronych.* ʒ*x ſyr. viol. q. s. f. elect. de quo ſumat. q. n. moſch. bis in die, bibendo* ℔*j aq. marin. primo mane quotidie.*

Hâc ratione, juſta menſibus periodus reſtituta fuit. ſed in crura atrociter fluxio ſævierat, & venarum valvulæ adeo erant varicoſæ, ut ſæpiùs ante menſium eruptionem, crura novus invadere humorum fluxus conſueverit. poſtremùm igitur ſuadebam ut in mare virgo deſcenderet, & commodis, ad crura vincienda, faſciis uteretur. ſed poſtquam è vicinitate noſtrâ migravit, quid illi contigerit, non ſanè ſatis ſcio. non autem

prætereundum hunc caſum judicavi, quoniam, ſicut in hâc præcipuè, ita in multis etiam aliis fœminis, menſes profluxiſſe obſervavi, poſt æthiopis vegetabilis, & aquæ marinæ uſum. præſertim autem ubicunque doſes mercurii dulcis exiguas, ſub noctem, ante marinæ aquæ hauſtum matutinum, ſumendas præſcripſerim.

HISTORIA XXIX.

De criſi eryſipelatoſâ.

Quandoquidem iſthoc opus ad rationem eam, quâ per aquam marinam ſecretiones glandulares dirigi poſſunt, illuſtrandam præcipuè deſtinaveram; de iſtius medicamenti commodo in morbis quibuſdam chronicis, & maximè pertinacibus, vix adhuc quidquam ſcripſi, ſed intra limitem, quem ipſe mihi præſcripſeram, me continui; nonnulla quidem hujuſce rei (nempe quantæ ſit efficaciæ in *morbis chronicis* aqua marina) exempla ſatis illuſtria tacitus præteriens. ſed in his morbis præcipuè memoriâ tenendum eſt, atque omnibus omni tempore obſervandum, ut, ſi quæ fortè ſint à ſanguine humorum factæ ſeparationes, quæ diutinâ conſuetudine in partem aliquam inciderint; illas veteri, (ſi fieri abſque immani moleſtiâ poteſt) atque aſſuetâ viâ ſe purgare, atque ejicere ſinant. ſin autem neceſſe ſit, ut ali-

quid

quid immutetur, atque alriorſum humores deducantur, meminerint, novam priùs aliquam evacuationem ſubſtitui debere. quòd ſi illud haud falſum ſit, quod ſæpe inculcavi, & ſupra evincere conatus ſum, nimirum, eſſe medico poteſtatem, & quaſi quandam in naturâ refrænandâ, & continendâ auctoritatem; ſequitur, ut ubicunque eam errare, morbique criſin ad partem minùs tutam deſtinare viderit, continuò ſibi criſeos moderamen arroget, & per viam minùs periculoſam dirigat.

Ac non aliud, ut opinor, medico cumulatiorem laudem afferet, quàm ſi, naturam licet ſibi ducem, & quaſi quandam artis magiſtram proponat, atque omnem ipſius motum variationemque, oculorum & judicii acumine ſubactiſſimo plerumque obſervet; tamen ubicunque eam errantem animadverterit, iſtam, quam in naturâ coërcendâ & dirigendâ poteſtatem habet, meritò ſibi vindicet; & morbi exacerbeſcentis moderamen & quaſi fræna in manus ſumat, atque inſtantis criſeos momentum ingens & plenum aleæ, (utpote quod ægroto vel mortem, vel ſalutem allaturum ſit) pro judicio ſuo regat.

Quòd ſi rectè in his ſtatuo, quanta medicæ arti laus, quanta, in hoc rerum quaſi cardine, gloria & propemodum cultus attribui debet! nuperrimum autem illius rei, nec minùs inſigne exemplum ſubjungam.

Virum

Virum quendam, non minùs ſuavitate morum, quàm literarum amore & cultu celebrem, ſynanchis eryſipelatoſa corripuit. tum uvulæ, tum gutturis glandulæ, tum tonſillæ quoque inflammatæ, & vehementer erant rubicundæ; tumor circum laryngem, & exinde raucedo; reſpiratio difficilis, crebra, quæ decubitum non pateretur; pulſus celer admodum, ac fortis.

In hoc quidem morbo natura criſin internam meditari nobis viſa eſt: quæ ſi per glandulas tracheæ deorſum prorupiſſet, mirum ni mors foret ſubſecutura. quòd ſi hæc inter pericula morbum ſoli naturæ dirigendum commiſiſſemus, internam criſin, & lethalem futuram nulli dubitavimus. igitur morbum aliorſum dirigere totâ nervorum contentione conati ſumus.

Primò ſanguis, non minùs unciis quinquaginta, ſtatis intervallis, ducitur, & catharſis è ſale *Glauberii* quotidie ingeritur. citò, ſuppreſſâ fluxione internâ, reſpiratio minùs crebra difficiliſque; nec tantus rubor in glandulis, nec tam moleſtus tonſillarum tumor. at febris, licet non tantopere ſæviret, tamen neque omnino deferbuerat.

Tum primùm maculam quandam rubram, eryſipelatoſam, in altero narium latere apparentem, animadvertimus. deinde etiam aliæ maculæ per frontem, genas, faciem, ac caput integrum

ſerpſe-

ſerpſerunt. interim oculi tumoris magnitudine ferè obruti, & inquietus æger, & minimè æquo animo pati, quòd medicinis parciùs uteremur. at cum neque periculum, cujus in primâ hiſtoriæ parte meminimus, ampliùs urgeret, neque ullum accederet delirium, neque plus æquo febris efferveſceret, naturæ viribus morbum tandem committendum judicavimus. nullis igitur, donec tumores ſubſidebant, medicamentis uſi, paucis tantummodo catharticis refrigerantibus circum illud tempus adhibitis, ægrotum ad ſanitatem reduximus. at hoc, ut opinor, exemplum indicabit, quanti ſit momenti debita ſecretionum glandularium deſtinatio.

HISTORIA XXX.

De leprâ humidâ.

Acceſſit ad me vir quidam, ſtirpe generoſâ oriundus, de leprâ humidâ multùm conqueſtus: quippe quæ in tantum exacerbaverat, ut humoris guttulas quaſdam, & quaſi lacrymulas, poſt contactum digiti vel leviſſimum, emittere ſoleret. comes erat pruritus immanis, atque ita moleſtus, ut vix ullam ægrotanti, diebus noctibuſve, concederet requieſcendi copiam. morbus deorſum ab inguinibus prorepſerat, per utrumque femur internum; & per utrumque latus cervicis; & ab aure

aure ad claviculas uſque; necnon etiam in utriuſque brachii inflexione ſæviit. inveteraverat quidem, atque invaluerat morbus; ita ut licet moleſtus ille requieverit pruritus, & fluxio per aquæ marinæ uſum ſubſtiterit, & affectæ partes refrigeſcere, atque inareſcere cœperint; tamen, glandularum tubulis emiſſariis admodum amplificatis, fractoque ac debilitato cutanearum glandularum tono, poſtquam aquam marinam omiſerat æger, rediit illud humorum ſtillicidium; quod effluxit ad inſtar gonorrhææ ſimplicis: ſed, licet copiâ non adeo ubere atque antea, nulloque cum pruritu; tamen, propter glandularum debilitationem, aliquatenus perſeveravit.

Suaſi ut contra illud malum ſumeret aquam calcis, & tincturam antipthiſic: *Etmulleri*, internè, vel eorum vice, variandæ formulæ gratiâ, vitriolicorum, & peruviani corticis formulas. quo autem ea medicamenta modo proceſſerint, non ſatis ſcio, cum diu jam de ægro nihil inaudierim. certò autem ſcio, quòd in quibuſdam morbis, ubi glandulis ingens accedat debilitatio, nullum medicamentum valere poterit.

Nonnunquam autem picis liquidæ formulæ glandularum aperta oſcula fortaſſe obſignabunt, atque intercludent. ſed ea neque ſtabilis, nec diutina cenſenda eſt curatio: quanquam in nonnullis iſtiuſmodi caſibus, ubi glandulæ humorum ſtilli-

ſtillicidio quodam laborant, aquam illam, quam è pice liquidâ conficiunt, profuiſſe judicavi. nimirum, ut arbitror, quoniam ea medicina, more terebinthinæ cujuſvis, digerit, & ad vaſculorum oſcula aperta occludenda confert. ſed illius uſum, fateor, internum parùm expertus ſum. unguentum autem quoddam, è pice liquidâ confectum, ſæpius fæliciter, externis partibus adhibere conſuevi. cujus quidem formulam optimam, & quam, vel poſt alias fruſtra adhibitas, nonnunquam profuiſſe memini, ſubjungo.

℞ *Sevi ovill. picis liquid. aa ℥vj pulv. rad. enul. campan. ʒij cort. intern. ſambuc. mß. coquantur ſimul donec cort. ſambuc. criſpitudinem acquiſiverit; poſtea cola.*

Partes affectæ unguento modò præſcripto ſunt illinendæ, manuque ad ignem ſedulò fovendæ, mane & veſperi, quotidie, donec eruptiones curatæ ſint.

HISTORIA XXXI.

De carie ſcrophuloſâ malleoli interni.

Januar. 1748.

Acceſſit ad me, hoc ipſo ineunte anno, juvenis octodenarius, ægrotantis illius, de quo in e-

piſtolâ ad *D.D. Lewis* ſcriptum invenies, frater. ex traduce ſcrophulâ laborabat. pulſu erat celeri, atque habitu planè hectico. non ſolùm in cervicis glandulis plures erant tumores duriuſculi; ſed & abſceſſus quoque in malleolum internum factus, & tumefacta oſſium capita, & longè æquo largior erat articulus. primùm omnium pus, chirurgi manu, emiſſum eſt; & deinde, contra reliqua mala, de quibus querebatur æger, dedi ſequentia.

℞ *Æthiop. vegetabil.* ʒvj *ſpong. uſt.* ʒiij *milleped. ppt.* ʒij *æthiop. mineral.* ℥ij *os ſepiæ uſt.* ʒij *conſ. paronych.* ʒx *occ. cancror.* ʒiij *corallin. ppt.* ʒij *ſyr. viol. q. s. f. elect. de quo ſumat. q. n. moſch. horâ 4tâ. pomerid. & horâ decubitûs, bibendo aq. marin.* ℔j *mane ſequenti.*

Circa initium menſis *Martii* ad me venit juvenis, ut oſſis exfoliationem mihi monſtraret. ulcus jam omnino ſanatum eſt; articulus ipſe, atque oſſium capita formæ naturali reſtituta; ac cervicis glandulæ tumefactæ, præſcriptâ methodo, diſſipatæ ſunt.

HISTO-

HISTORIA XXXII.

De tumore largo, ſcrophuloſo, ab aure ad claviculam pertingente.

Quamvis aliud hujuſce generis morborum exemplum ſupra memoraverim; nihilominus cum alia quædam ægra menſium permultorum ſpatio aquam marinam ſumſerit; & illius quoque hiſtoriam literis mandare volui: nimirum ut extet quædam quaſi refutatio hominum illorum, ſiquando ulli futuri ſint, qui diutinum aquæ marinæ uſum, utpote quæ ſit nimis forte medicamentum, reprehendere & convellere voluerint.

Interim non futilem quandam medicinam, atque nugatoriam, ſed efficacem, & gravem, atque etiam haud dubiè tutam, ſi judicium peritorum hominum ipſius uſum moderetur, rei medicæ ſtudioſis propono. non enim nihil vel aliis remediis objectari, & vitio dari poteſt; præſertim autem illis, quæ vi quâdam inſigni, & haud dubiâ pollent; nempe *mercurio dulci*, *cortici peruviano*, *opio*, & *chalybi*: quæ omnia vel prodeſſe, vel nocere ſolent, perinde atque adhibentur. at non ideo ab arte noſtrâ medicamenta illa ſegreganda ſunt, quia pravè à nonnullis dari poſſunt: nec peritum medicum terrebit imperitorum temeritas, quo minùs, in morbis ea medicamenta po-

ſtulantibus, pro judicii ſui acumine adhibeat. ſed ut illuc revertar.

Fœmina, de quâ in præſenti agitur, aquæ marinæ congios viginti & quinque, non ſtatis intervallis, ſed continuâ, atque unâ purgandi ſerie, ℔j omni mane, ſumſit. atque etiam, inter eam bibendam, menſes magis periodicè, & coloratiores fluxerunt; appetitus cibi acrior; & diſcuſſæ fuerunt ſtrumæ, quibus laborabat. Sin hæc autem aquæ marinæ hauſtæ immanis copia, quam reſtituta, atque aucta etiam valetudo, ſtrumarumque curationes ſequebantur, innoxias ejus virtutes non probet, & demonſtret; dubito ullum futurum ſit, ad evincenda hominum iniqua præjudicia, ſatis validum argumentum.

HISTORIA XXXIII.

De zonâ; anglicè, the ſhingles.

Frequens eſt quædam eryſipelatis ſpecies, quæ à Græcis ζωςὴρ, Latinis *zona*, & noſtratibus, *the ſhingles*, nominari ſolet. qui quidem morbus corporis truncum infeſtat; modò thoracem, modò ſcapulas, modò latera & coſtas occupans: frequenter etiam inferiùs oritur, & medium corpus, tanquam cingulum quoddam, totum cingit atque amplectitur. ſubnaſcuntur veſiculæ quædam

fla-

flaveſcentes nonnunquam, ſed ſæpius liveſcentes; quæ, ad inſtar herpetis, cujus ſpeciem maximè referunt, corrodere ſolent.

Hujus profectò morbi meminit, in capite undecimo, *Marcellus*. "*Facit* (inquit) *hoc medicamentum, & ad carbunculos, & ad ignem ſacrum; ad zonam, quam Græci herpetem dicunt.*" & *Scribonius* quoque cap. 100. "*Ad zonam*, ait, *quam Græci* ἕρπητα *dicunt, faciunt quidem ut ſupra dicta omnia, præcipuè cicuta viridis benè trita & impoſita.*"

Enimvero ſicut mihi ſemper viſum eſt, hunc morbum eſſe ſpeciem quandam eryſipelatis ſcorbutici, ad herpetem, degeneri mutatione, vergentis; ita diſſimili ratione, atque ab illâ, quæ contra verum eryſipelas adhiberi ſolet, aliquantulùm abhorrente, utendum eſſe animadverti: caſuſque nonnullos maximè moleſtos, ab eruptione præproperè nimis introrſum verſâ, provenire obſervavi. ſed illud, quod à noſtris hodie vulgariter dici ſolet, nimirum ſubſequi mortem, ſi corpus medium omnino cingat, ab antiquis quoque creditum invenio. etenim *Plinius* inquit; "*ignis ſacri plura ſunt genera; inter quæ medium hominem ambiens, qui Zoſter appellatur, & enecat ſi cinxerit.*" l. 26. c. 11.

Hoc tamen morbi præſagium non ſemper verum eſſe ſolet. ſed in hâc eryſipelatis ſpecie curandâ,

randâ, duæ præcipuè res ſunt obſervandæ. altera eſt, ut maturationem ulcuſculorum adjuvemus: altera ut à purgando nos contineamus, donec ſe per cutim evacuârit eruptio. tum autem vel ſale *Glauberii*, vel aquâ marinâ venter ducendus erit. ſed hujuſce morbi hiſtoriam quandam ſubjungere lubet.

Virum quinquagenarium, generoſâ ſtirpe oriundum, eryſipelas ſcorbuticum, vel ſi mavis, degener quidam herpes corripuit. eruptiones tum pectus, tum ſpatium quoque, quod ſubter dextram papillam jacet, occupabant. puſtularum capita liveſcebant; & febricula levis, & dolor immanis accedebant. at cum, eruptionibus per triduum ferè, vel ampliùs graſſatis, novæ quædam puſtulæ jam tum ſubnaſci viderentur, chirurgus eruptionibus ceratum applicandum ſtatuit. quæ, cum ad maturationem nequaquam promoverentur, dolorem vehementiorem, atque indies invaleſcentem excitabant; & nihil quidem præter ichorem quendam tenuem, eumque parcè tantummodo, emittebant. deinde eruptio plurima evanuit, & repentinâ aſthmatis acceſſione, inter dormiendum è ſomno æger excitatus eſt. ac parum quidem abfuiſſe creditum eſt, quin eo tempore mortuus fuerit. ſtatim autem accitus chirurgus, illic viciniæ habitans, detraxit ſanguinem. quo detracto pauliſper requievit aſthmatis paroxyſmus,

roxyſmus; mox tamen, inter dormiendum, inſultu violento admodum rediit. tum ego accerſor, & ægrum, relicto lectulo, minùs laborantem invenio. ſed vel eo tempore de dolore ingenti, & ulcuſculorum teneritudine, quæ tactum recuſabant, queſtus eſt.

Illa autem, ut inſpicio, veſiculis depreſſis, & minimè tumentibus, at liveſcentibus inducta eſſe, atque acrem quendam ichorem ſubſtare cerno. proinde ſecantur veſiculæ, & præcipitato rubro, cum unguento aur. & cerato, ut medicamenta fixa atque immota remanerent, curantur; & præſcribitur quoque julapium, cum pulv. gaſcoign. ſumendum, quotieſcunque accedat languor, & ſtomachi ægritudo. porro adhibetur, horâ decubitûs, veſicatorium ſatis amplum: citò tamen, dyſpnæâ iterum inter dormiendum redeunte, coactus reſurgit æger.

Poſtero autem die veſicatorium benè ſuo munere perfunctum eſſe; humoriſque ſatis uberem copiam detractam invenimus: ita ut ab illo tempore nec ullus dyſpnææ recens inſultus, neque tam atrox dolor fuit: ſed & ad maturationem eruptiones tendere cœperunt. tum autem venter mannâ, & ſale *Glauberii* ductus eſt; & electuarium ex æthiope minerali, pulv. ari. comp. &c. & purgatio per aquam marinam, vel altero, vel tertio quoque die repetenda, in poſterum ſunt præſcripta.

Ex-

Exinde æger, abſque ullo aſthmatis renaſcentis inſultu, valetudinem redindegratam habuit; & de quâdam ſolummodo teneritudine, quæ tactum ægrè patiebatur, circa partes à morbo non ita pridem occupatas, aliquantiſper queſtus eſt. quod à pleriſque quidem ægris, poſt iſtiuſmodi morbos, fieri animadverto. illam autem partium teneritudinem, quæ vel poſt morbum expulſum urgere ſolet, ſequenti embrocatione, atque antiſcorbuticorum uſu curari ſoleo.

℞ *Camphor. ʒj ſpts. cochlear. hortenſ.* ℔ß. *m. f. embrocatio.*

Partes affectæ, ſpongiâ huic embrocationi inditâ, atque eâ madeſcente, mane & veſperi, fovendæ, & fricandæ ſunt: venterque per ſequentia liber ſervandus.

℞ *Æthiop. mineral. ℥ij pulv. ari. comp. ʒiij occ. cancror. corall. r. ppt. aa ʒij ſyr. viol. q. s. q. elect. de quo ſumat q. n. m. mane & nocte, bibendo* ℔*j aq. marin. altero quoque mane.*

Sed notandum eſt, priuſquam finem huic hiſtoriæ imponam, tempus purgantibus maximè accommodum tunc ferè eſſe, cum & calor, & ſitis, atque inquietudo quoque remiſerint: quod raro fit,

fit, niſi poſt maturatas eruptiones. quandoquidem autem hæ ſunt eruptiones criticæ, majori periculo patent, ſi introrſum vertantur, quàm ii cutis morbi, quos febricitatio nulla comitatur.

Denique, obſervandum eſt, ſi morbus, inſtar zonæ, medias corporis partes ambiat, tum quoque eodem modo, quo & hæc ejus ſpecies, tractandus eſt. cum autem ſymptomata maximè inauſpicata obſervaverim, ubi morbus thoracem, vel alias in corporis trunco partes ſuperiores occuparint, ab illis ſolùm partibus exemplum petii.

HISTORIA XXXIV.

Virum annorum quadraginta quatuor tumores duri, ſcrophuloſi, utraque genua occupantes, infeſtaverant. eademque etiam affectio ſcrophuloſa dextrum carpum inſederat. in his anguſtiis ſalivatio non erat neglecta; ſed illa ad morbum tollendum nihil omnino profuit. tandem igitur ad me venit, & ad oppidum *Brighthelmſtonienſe* ſuaſu meo ſe recepit; ubi abſque ullâ intermiſſione, per menſes quatuor marinæ aquæ ℔j omni mane ſumſit.

Cum tumores jam tandem declinare viderentur, in mare, vice balnei frigidi, deſcendit. valetudini reſtitutus abiit. reſtabat tamen in altero genuum anchyloſis, quæ facta fuerat ante quàm

ad me acceſſit; fecitque ut non niſi ſummâ cum moleſtiâ, & duobus etiam baculis innixus incederet: ab illâ quidem, vel cum deceſſit, genu ita rigidum, parumque fuit flexile, ut unius baculi auxilio adhuc indigeret.

HISTORIA XXXV.

--- Eruptiones ſcorbuticæ, quæ ex humidæ lepræ genere eſſe videbantur, per totum corpus prorepſerunt: & ubicunque veſtes cutim attingebant, adeo tenaciter adhæſerunt, ut avulſas ſanguis, non ab unâ parte tantùm, ſequeretur. ſuſpicio erat caſum hunc venereæ labis non fuiſſe immunem; ideoque ſalivationem, licet inutiliter, æger tentaverat. poſtea ad mare, huc viciniæ, ſe contulit, & ſequenti methodo curationem iniit.

℞ *Æthiop. mineral. ℥j occ. cancr. ʒvj antim. crud. ppt. ʒij æthiop. vegetab. ʒij pulv. viperar. ʒij ſyr. viol. q. s. f. elect. de quo ſumat q. n. m. mane & veſperi, bibendo ℔j aq. marin. mane, quotidie.*

Hæc medicamenta per bimeſtre ſpatium ſumſit, & ſub curationis fine iſtis adjecimus.

℞ *Tinctur. antimon. balſ. polychreſt. aa. p. æ. ſumat gt. xxx ter die.*

Ita,

Ita, curatis non modò ſcorbuticis eruptionibus, ſed fugato etiam rheumatiſmo, qui poſt ſalivationem inceſſerat, integer abiit.

HISTORIA XXXVI.

--- Lepra arida caput, omneſque ferè articulos infeſtaverat; corpore hinc inde maculis leproſis conſperſo. caſus erat hic omnino moleſteſſimus, & qui curationem non niſi perſeverando admittere potuit. æger enim marinæ aquæ ℔j omni mane, ad nonum uſque menſem, ſine ullâ intermiſſione, bibere continuavit, & curationis tædium conſtanter perferendo, valetudinem reſtitutam habuit.

HISTORIA XXXVII.

--- Crura utraque eryſipelas occupavit, & mira erat vaſculorum tenſio, & ſanguis etiam ita bile tinctus, ut, poſt digitum cuti impreſſum, non tam crocino, quàm aureo prorſus colore, ea eſſe videretur.

Marinæ aquæ ℔j omni mane per ſeptem tantùm dies ſumſit æger, & tumore omni repreſſo, abſque aliis auxiliis convaluit.

D. *Turner.*
Brighthelmſtonienſis.
Pharmacop.

HISTORIA XXXVIII.

De ſcirrho hepatis.

Venit ad me quidam de ſcirrho hepatis multùm conqueſtus. tumor erat durus, largus, inæqualis; oculi lutei; colore crocino ſuffuſi; cutiſque pruriginoſis eruptionibus conſperſa. in his rerum aſperitatibus ad aquæ marinæ uſum æger ſe contulit; cujus ope & icterus, & cutis eruptiones multùm ſublevatæ ſunt. ſcirrhus verò hepatis eodem poſt aquæ marinæ uſum ſtatu, quo ante fuit, remanſit. atque ego quidem, ut ante in ægro illo animadverti, quem D. *Johnſon* monſtratum fuiſſe ſcripſerim, nullam ab aquâ marinâ, in perfecto ſcirrho, auxilii ſpem concipio. atque etiam in illo, cutis tantùm morbus per marinas lavationes cæteraque ſubſidia diſcuſſus eſt; ſubſtante & manente gravi hepatis morbo. ſed in his profectò caſibus, qui à multiplici malo moleſtiores ſunt, tartarum vitriolatum opem non exiguam attuliſſe ſæpius obſervavi. quandocunque verò illo utaris, cavendum nè tartarum hoc vitriolatum fiat nimis acidum: cui quidem incommodo ut aliquo modo proſpiciam, ſalem tartari ſæpe immiſcere ſoleo, à minoribus ad majores paulatim doſes aſſurgens, ſtomachi interim habitâ ratione.

HISTO-

HISTORIA XXXIX.

De ſcrophulâ Americanâ.

Puer, decimum tertium ætatis annum ingreſſurus, coloniæ *Jamaicanæ* indigena, ab amicis, ut meæ curæ ſubjiceretur, ad oppidum *Brighthelmſtonienſe* miſſus eſt. tumoribus ſcrophuloſis collum ubique ſcatebat; caput etiam tumoribus, fungorum ſpeciem gerentibus, colore fuſco, nigricante, mirum in modum inductum erat. tumorum baſes, vel ſi mavis, radices in pericranium ſe profundè & firmiter inſerebant; eorumque capita molliuſcula, & inæqualia; ad inſtar ſpongiæ quaſdam quaſi foveas inſpicientibus offerentia; leviſſimo quoque contactu ſanguinem emittentia. unguenti iſtius antea memorati, è pice liquidâ confecti, præmiſſâ venæſectione, uſum præſcripſi; tum quoque electuarium ex æthiope vegetabili, unáque aquam marinam omni mane ad quartum uſque menſem continuavit. hâc ratione tumores & in collo & in capite diſcuſſi omnino & ſanati ſunt. in capite tamen profundiſſimæ cicatrices, carnis ab ulceribus corroſivis amiſſæ indicia, remanebant.

APHORISMI.

1.

NATURA medicatrix morborum.

2.

Eam igitur medicum oportebit, quaſi certiſſimum ducem, ob oculos habere, & illius veſtigiis inſiſtere.

3.

Laborantes glandulis morboſis ante pubertatem, tum mares, tum fœminæ, ſæpe poſtea curari ſolent. hæ menſtruis erumpentibus; illi autem mutato corporis habitu. "*Patet hoc luculentiùs, quia juvenes cælibes ſæpe ſtrumoſi fiunt; poſtea verò matrimonio conjuncti nonnunquam ſponte curantur: nempe materia olim ad ſtrumas fluens, ad alias jam partes --- divertitur.*" vid. *Wharton.* de glandulis p. 247.

4.

Si non curatæ fuerint in fœminis obſtructæ glandulæ ante ætatis annum quadrageſimum quintum, vel circiter, tum ceſſante menſtruorum fluxione, plerumque recrudeſcit morbus.

5.

Ii verò, qui glandulis obſtructis infeſtantur, ſi ſub peritorum oculis ante pubertatem alantur, plerumque à puris diſcrimine conſervari poſſunt, per ſecretionum glandularium debitam tractationem. cum tamen eum ætatis ſuæ gradum attigerint, natura plerumque ſibi aliquod ſubſidium reperit; donec adventantis ſenectutis urget onus.

6.

Eæ glandulæ, quæ nec parti fortiter alicui adhæſerint, nec indoluerint, nec ſæpe inflammationibus obcaluerint, iterumque ſubſiderint, præcipuè aquâ marinâ ſanabiles ſunt.

7.

Si glandula morboſa vel pulmonis, vel alîus cujuſvis partis, ad maturationem proceſſerit, nihil ibi prodeſt aqua marina, donec pus retentum emittatur.

8.

Cum in glandulis tumefactis partes tam fortiter, tamque diu cohæſerint, ut nec cordis, nec medicamentorum vis ulla disjungere ipſas, tubuloſque earum compreſſos recludere poſſit; tum profectò chirurgi manus ſolùm valet.

Omnis

9.

Omnis autem tumor, qui nec eouſque proceſſit, nec vaſcula diſrupta habet, ſanabilis eſt per debitam ſecretionum glandularium tractationem.

10.

Cum, revulſione factâ ab hâc vel illâ glandulâ, ad aliam fluxio tranſit, tum ubique aquæ marinæ uſus obſervandus eſt, donec redundantia per inteſtinas glandulas excernantur.

11.

Cum glandulæ non ampliùs onerantur, & proinde tumores declinant; tum frictio partis frigida per fucum, & marina aqua, ad confirmandum imbecillarum partium tonum, quàm maximè facient.

12.

Sub finem curationis vitriolica, nuces Gallæ, cortex peruvianus, & maris balneum frigidum, rectè præcipi poſſunt.

13.

Ubi aqua marina per alvum non citò excernitur, ſitim movet; donec ſecretiones glandulares ſales bituminoſos eluerint, & reſtituta fuerit humorum quantitas, quæ glandulis ſaucium ad-

ferri debet. idque ſit ceſſante marinæ aquæ effectu in glandulas inteſtinas. is autem & ſubitus & brevis eſt, quamvis longa ſit evacuatio.

14.

Fœminis, quibus menſtrua non proveniunt, ſæpe uſus æthiopis vegetabilis & marinæ aquæ mederi ſolet: nimirum ubi calidior ægra eſt, aut exilior, quàm quæ chalybeatorum gummique uſum admittat.

15.

In illis caſibus, quibus immanis accedit acrimonia, nimis aliquando marinam aquam irritare cenſui. ſed eam tamen reprimet, habitumque commutabit, diæta lactis cum abſorbentibus: & ſubinde vel ii quoque morbi marinâ aquâ ſanabiles ſunt.

16.

Glandulæ tumefactæ, propter earum tonum debilem, novis morbi tentationibus opportunæ ſunt.

17.

Glandularum apoſtemata ſæpe juxta veteres cicatrices reſurgunt; ſiquidem glandulæ capſula non tota pereat, expurgeturque.

18.

Eæ glandulæ, quæ vi aliquâ non fortiter comprimuntur, præcipuè (quia laxæ ſunt) fluxionibus tentantur; ſuiſque etiam officiis tardiùs funguntur.

19.

Ideoque fluxiones præcipuè labri ſuperioris nariumque, poſt curationem iterum ſupervenire ſolent. & in illis majori quoque moleſtiâ curatio perficitur, quàm in aliis quibuſdam partibus.

20.

Morbi glandularum exiguarum non tam facilè curantur, quàm ii, qui in largioribus exiſtunt.

21.

Multa oris linguæque ulcera, quæ cancris vicina atque ſimillima ſunt, ſæpius corriguntur, & nonnunquam etiam curantur aquâ marinâ, atque aliis remediis.

22.

Marina aqua contra putredinem valet, & vaſculorum ruptiones reprimit.

23.

Tumorum in glandulis internis curatio tutior eſt per marinam aquam: & ſubmovenda topicorum remediorum externa applicatio, donec & habitus commutetur, & internæ glandulæ quoque ſubleventur.

24.

Marina aqua à conſtipatione alvum ſervat: ideoque calculis è ductu biliario ſabuloque exitum faciliorem reddit.

25.

Marina aqua ob id, quod glandularum jecinoris tumores ſolvit diſcutitque, cum ſapone tutiſſimè purgat, in ſanabili ictero.

26.

Surditas, quæ à fluxione ſcorbuticâ in glandulas auris externæ provenit, marinâ aquâ ſanabilis eſt.

27.

Tumores in tubulo alimentario per marinam aquam diſcutiuntur; ſiquidem nec apoſtemate tententur, nec ſcirrhi, nec cancri ſint. non autem

tem id medicamentum adhibere oportebit, dum partes inflammatione laborant.

28.

Macies, febriſque hectica, cum à vitio tubi alimentarii proveniunt, marinâ plerumque aquâ fugari ſolent.

29.

Nautæ per marinam aquam à recidivis colicarum bilioſarum acceſſibus liberantur, poſt ſublatam ſcilicet, venæſectione & lenitivis, inflammationem.

30.

Dum in ſtatu inflammatorio glandula manet, venæſectio, nitri uſus, purgantia lenitiva, & quæcunque contra abſceſſus faciunt, adhibenda ſunt.

31.

Sublatâ inflammatione, aqua marina idonea eſt; quâ ſcilicet diſſipentur tumores, tonuſque partium debilitatarum confirmetur.

32.

Febris, unáque etiam rigores, in glandulis morboſis ſubſtare pus ferè indicant.

Glan-

33.

Glandula tumefacta primùm omnium in tumorum marginibus molliculis diſſipari incipit. idque eò procedit, donec vicinæ partes aliquatenus & formæ & magnitudini priſtinæ reſtituantur. tum autem ea, ſive morbida glandula, ſive glandularum maſſa ſit, apertè diſcernitur: & ſiquidem ſtabilis & fixa eſſe videatur, partique, cui & innititur, adhæreat quoque, & etiamnum dura admodum ſit; ibi balneo frigido nondum utendum eſt.

34.

Cum autem glandula & imminuta, & à parte, cui innititur, disjuncta eſt, & aliquantulùm tactui mollior venit; ibi prima omnium lotio fuci lenioris, & dein uſus fuci fermentati, ſive marini ſmegmatis, gradatim adhibiti, prodeſt. curatio per maris balneum frigidum terminanda eſt: & bibendum interim aquæ marinæ quantum ſufficiat alvo bis terve ducendæ, omni mane, ſtatim poſt egreſſum è mari.

35.

Glandulæ ob earum tonum laxum magis plenitudinum injuriis obnoxiæ ſunt, quàm aliæ corporis partes. ideoque in his plerumque morbus recru-

recrudeſcere ſolet, niſi marinæ aquæ uſus, mariſque balneum eò continuentur, donec ſuus affectis partibus tonus redierit; & huc referri poteſt iſtud *Hippocratis*, "*Si mulier, quæ nec pregnans, nec puerpera eſt, lac habet, eam menſtrua defecerunt*. apud *Celſum* l. 11. c. 8.

36.

Glandulæ, quæ & ſæpius intumuerint iterumque ex parte ſubſederint, & tumorem poſt ſingulas fluxiones novas largiorem habuerint, eæ raró nativam ſuam & formam & venuſtatem ex toto recipiunt.

37.

Idque eò fieri ex diſſectionibus invenio, quòd natura, nè moleſta ſibi invicem ſit induratarum glandularum compreſſura, ſtratum quoddam, vel involucrum adipoſum iis facit; in quod ſcilicet tumor reclinet conquieſcatque. illud autem partis molem exauget, ejuſque venuſtatem deformat.

38.

Glandulæ autem, quæ involucrum id habent adipoſum, ſiquidem marinâ aquâ non curentur, tamen ab apoſtematum metu liberantur; adeoque

que febris hecticæ purulentæ, tabiſque periculum omne effugitur.

39.

Sin ea verò partis invenuſta, quæ reſtat, ſpecies, ægro vel minùs conveniat minúſve placeat; plerumque manu chirurgi tutò ſubmoveri poteſt.

40.

Cum ope partis alicujus, à ſanguine ſeparatio, vel evacuatio ulla, diu & quaſi conſuetudine quâdam facta fuerit, & exinde homo non ſe malè habeat; tum ea evacuatio non aliorſum dirigenda eſt, ſed priſcâ atque uſitatâ viâ potiùs elicienda: ſcilicet ſi nec in exeundo permoleſta ſit, nec periculis ullis pateat.

41.

Sed ſi permoleſtum illud ſit, vel etiam periculoſum, non aliorſum divertenda eſt, niſi evacuationes alias priùs ſubſtituerimus ſive per fontanellas, ſive veſicatoria, ſive per continuam aquæ marinæ purgationem: nimirum ut eo modo redundantiis per inteſtinas glandulas exeundis via quædam, tanquam pro more, facta ſit.

42.

Tumores omnes febrium critici naturæ viribus committendi ſunt; ut videamus quid ea poſſit, vel ad ſuppurandum, vel ad diſſipandum, priùs quàm in auxilium aquam marinam adſciſcamus: ſcilicet ſi pus in loco tuto motum ſit.

43.

Si, quæ glandulas quaſdam præcipuè infeſtaverat, ſubducatur obſtructio, plerumque alias quaſdam invadere ſolet, niſi contra illud malum peritâ ſecretionum glandularium tractatione maturè præcautum ſit. illud autem periculum etiam innaſcens oculis ſæpenumero patet. itaque obſervari ſolet, cum glandularum pulmonarium obſtructio, vel artis, vel naturæ viribus, ſublata fuerit, ſubinde in cervicis glandulis morbum quaſi repullulantem apparere.

44.

In eliciendis & augendis ſecretionibus glandularibus, ſive per oris fauciumque glandulas mercurii ope, ſive per inteſtinorum glandulas aquæ marinæ auxilio, ſecretio excitata fuerit, ubique ægrotantis virium habenda ratio eſt.

45.

Sicut mercurii natura cauſtica eſt, & eſchara facit, & dolorem excitat, & magis quàm aqua marina ſtimulat; ita tenuioribus, propter ingentes illas, quas promovet, evacuationes, habitum hecticum ſæpenumero inducere conſuevit.

46.

Sin autem in alterutro remediorum illorum utendo, vel juſto celerior pulſus, vel imminutus cibi appetitus, vel corpus ſenſim attenuatum atque emacreſcens, valentiorem, quàm quæ viribus ægri conveniat, evacuationem eſſe indicent; tum, ea pro tempore intermittenda ſunt, & lactis aſinini atque abſorbentium uſus ſubſtituendus. quod tamen rariſſimè poſt aquam marinam adhibitam neceſſarium eſt.

47.

Habitus calidi tenueſque marinam aquam ſolam ſæpius commodè ferunt, quum medicamenta magis calida, licet aquæ marinæ juncta, reſpuant.

48.

Habitiores autem qui ſunt, & glandulas vitiatas habent, æthiopem, cinnabarem, antimonium,

&

& cineres plantarum ſubmarinarum calcinatos, cæteraque id genus medicamenta, marinæ aquæ conjuncta, optimè ferunt; quin & ipſa marina aqua exinde multùm adjuvatur.

49.

Marina aqua & magnâ, & variâ quâdam vi pollet: ſed imperiti facilè ipſâ perperam uti poſſunt.

APPENDIX

DE

QUERCU MARINA.



Quercus Marina ſine Veſiculis

APPENDIX

DE

QUERCU MARINA.

QUERCUS marina inter plantas ſubmarinas numeranda eſt. in littoribus ſcopuliſque naſcitur; & propter nativum quendam ſaponem adeo lubrica eſt, ut in petris, quibus adhæret, gradienti pes vacillet. de eâ verò re curioſiùs inquirens, plantam reperi ſub finem *Julii* menſis veſiculas ſuas diſrumpentem, humorem ſaponaceum in rupes littoraque effundentem. ſub *autumni* tempeſtatem, ab anni præteriti ramis repullulat planta. ſingulis æſtuum acceſſibus, ope veſicularum quarundam, quæ ob id implentur aere, rami fluitantes natant; ſinguliſque receſſibus in littore petriſque denudati aquâ ſiccantur. atque in eo quidem ſtatu planta manet donec, circa *æquinoctium* vernum, littora ſingulis aquæ receſſibus ſolis calore tepefiant: tum promovetur maximè vegetatio, veſiculæque intergeſcunt humore quodam ſaponaceo. is autem à *Martio Julium* uſque menſem ſenſim inſpiſſeſcit, donec ad ſpiſſitudinem ejus maximam pervenerit. tum demum, ut ſupra poſitum eſt, veſiculæ diſrumpuntur, & vegetatio juxta præmiſſam rationem procedit.

Ex

Ex his autem deduci poteſt, quantò propiùs planta ad perfectiſſimam maturitatem perducta ſit, eò magis marinâ aquâ dilui poſſe ejus liquorem.

In curatione glandularum morbidarum opus eſſe comperi ſapone aliquo lubrico, qui marinæ aquæ commiſtus diſcutiendis tumoribus idoneus eſſet. & quidem decoctio ranarum *Plinii* meliùs adhiberi conſuevit quàm illud de ranis emplaſtrum vulgare. ſed remedium nec ſemper præſto erat, neque nimis profectò mundum. igitur hâc plantâ petris modò avulſâ, atque humore ſuo delibutâ, perfricandos tumores bis terve die juſſi. idque ſub morbi declinationem maximè prodeſſe comperi.

Deinde, quandoquidem nativo quodam & ſapone, & ſale, præcipuè abundat; eam in pulvere ad drachmam unam internè dedi. ſapore eſſe oſtreaceo, & in doſi largâ ſtomachis nauſeam movere, obſervabam. mox, eam ſub dio calcinabam, & in nigerrimum æthiopem converſam vidi; quem in hoc opere æthiopem vegetabilem aliquoties appellavi. planta ad cinerem reducta continet ſalem marinum bituminoſum uſtum, ſalem alchalinum ſulphureum, cum nativo ſuo, poſt aquam igne deſiccatam, ſapone. & hunc quidem vice ſpongiæ uſtæ feliciter adhibui; quam tamen præſtantiâ longè, ut cenſeo, ſuperat.

Ejuſdem quoque plantæ æthiopem dentrificii vice adhibere conſuevi, ad corrigendam in ſcorbuto gingivarum laxitatem, & ad detergendos dentes ſordidos. idque feliciter ceſſit; novumque ibi, & magnum qualitatis ejus detergentis indicium dedit.

Experimentum primum.

Primùm, ut accelerarem plantæ vegetationem, atque inde mihi maturiùs ſuppeteret liquor ejus ſaponaceus, in mentem venit. igitur veſiculas aliquot ineunte *Martio* collegi, & marinæ aquæ portionem æqualem ſuperinfudi. tum in feneſtrâ collocavi, quæ ad occidentem ſpectabat, quotidianoque igne tepebat. poſt elapſam ſeptimanam veſiculas turgidas & liquore ſuo plenas inveni. ſed & tenuior erat liquor & pallidior, quàm ſolet is eſſe, qui menſibus æſtivis exprimitur; eo tamen manus meas illinivi. cutim magnopere detergebat, lævemque & mollem efficiebat: ſed non tam fortiter ſtimulabat, quàm ubi in æſtivis menſibus per fermentationem cum marinâ aquâ præparatur. in illis igitur caſibus ubi non permagno ſtimulo opus eſt, & lotio lenis fucuſque inſignis eſt.

Tum litum etiam ex eo & cadmiâ lævigatâ feci, eumque palpebris quorundam bis terve die

penicillo induxi, juſſique ſimul ut oculi eorum, mane & veſperi, aquâ marinâ lavarentur. hæc ratio ab excoriatione partes affectas immunes præſtitit, & humorum fluxionem, obſervatâ quotidianâ purgatione per marinam aquam, deſiccavit. tum liquorem etiam veſiculis expreſſum internè adhibui, contra fluxiones acres ſcorbuticas in glandulas internas, eumque quidem vice limacum cum cremore lactis dedi, ſuperbibendo vel lac eryngiatum, vel aſininum. bene ſtomacho ſedebat, &, niſi fallor, propoſito meo reſpondebat. ſed quatenus medicamentum utile futurum ſit, aliis aliorum experimentis confirmandum relinquo.

Hactenus de plantâ hâc ante fermentationem cum marinâ aquâ: jam per diverſas ejus mutationes percurrendum eſt, quum & ſtimulat penetratque magis.

Experimentum ſecundum.

Ut mihi poſt menſem *Julium* hujuſce plantæ liquor ſaponaceus præſto eſſet, veſiculas ejus perfectiſſimè maturatas, ollis vitreis indidi; tum ipſis aquam marinam, pari portione, ingeſſi. poſt dies ferè decem veſiculæ rumpi conſueverunt. effluxit mucilago quædam, mellis novi ſpiſſitudinem æquans. in hoc quoque ſtatu adhibui externè, magiſque detergere quàm ante comperi.

Expe-

Experimentum tertium.

Idem poſt menſes aliquot tenuior & fætidus fiebat. ſed & jam tum magis penetrabat, palmamque ſtimulabat, non ſine nervorum ſenſu quodam pungenti.

Experimentum quartum.

Deinde lubuit tentare quouſque qualitas ea detergens per fermentationem augeri poſſet; ideoque ollam in feneſtrâ juxta ignem conſervabam, à *Julio* ad *Martium* uſque menſem proximè ſequentem. tum verò & tenuior fiebat liquor, atque etiam adeo acris, ut dicto citiùs cutim penetraret, ſenſumque quendam leviuſculè pungentem excitaret, & abſtergeret etiam perinde ac lixivium ſaponis. nam & extremos digitos corrugatos, extremoſque ungues pallidulos fecit. fætor ſe remiſerat, ſed ut omnino tolleretur aliquantulum ſpiritûs roſmarini ſuperindidi. tum, quia veteres marinæ aquæ fotum calidum in paralyticis inſtituiſſe animadverteram, ita & hujuſce medicamenti embrocationem in iiſdem caſibus tentabam; & quòd inſigni commodo fuerit, perſuaſiſſimum habeo. idem etiam ſub declinatione tumorum glandularum feliciter adhibui: namque optimè diſcutit.

Experimentum quintum.

Liquorem hunc calefeci; chartæque violis recenter collectis lineas aliquot induxi; exinde violarum color in viridem converſus eſt. ergo inter fermentationem fit alchali.

Experimentum ſextum.

Deinde verò cochlearia duo ejuſdem liquoris poſt fermentationem evaporabam. præbuit ſalis cujuſdam acris, pungentis, ſcrupulum unum & pluſculum.

Experimentum ſeptimum.

Planta cum veſiculis ſuis deſiccata, & ſub dio uſta, fit æthiops ſalſus.

Atque hæc quidem ea ſunt, quæ de uſu plantæ hujus obſervaſſe mihi contigit. reſtat ut duas eſſe ejus ſpecies notem: quarum quæ lævis eſt, & ſine veſiculis ullis, perfricandis tumoribus aptior.

Cætera medicamenta quæ ex mari depromo, ſunt, *creta marina*, *corallia*, *corallina*, *pumex*, *os ſcpiæ*, & hujuſmodi; quæ omnia aciditates in primis viis temperant. " *Qualitas enim in totum immutatur à ſalibus, ubi diverſam illis particulis figuram inducant. ſic corallia, in acido ſoluta, adſtringunt & conſtipant; per ſe exhibita, magis aperiunt*



1 Quercus Marina cum veſiculis
2 Calx Americana. 3 Corallina. 4 Coralliuin.

periunt & acidum infringunt. ſic etiam acetum deſtillatum extrahit tincturam aperientem è marte." vid. collectan. chemic. *Leyden.* p. 268.

De Madreporâ.

Cum de uſu calcis è conchis vivis confectæ mentionem jam antea fecerim, duas etiam *Madreporæ* tabulas huic operi inſerere volui: alteram, quam (vid. *tab.* 7. *fig.* 2.) ex itinerario reverendi patris *L'Abat* depromſi; alteram, plantam integerrimam, & perfectiſſimam, à præfecto navis *Americanæ* nuperrimè accepi. vid. *tab.* 5. p. 70.

Hujus autem plantæ, quæ in coralliorum claſſe ponenda eſt, plurimæ ſunt ſpecies. ſi ſuper porphyritem lævigetur, internéque adhibeatur, multùm in corrigendis aciditatibus & ventris fluxibus ſupprimendis pollet. verùm ubi calcinatur, magis fit alchali; ſaleſque ejus in ſanguinem recepti, non edulcorant ſolummodo, ſed & glandularum obſtructiones detergent & expurgant. ſed hæ quidem calces recentes eſſe, & ſiccæ conſervari debent.

Præter hæc, nonnihil etiam de plantarum aliarum ſubmarinarum viribus, ſive de medicamentis ſubmarinis poſſem ſubjicere; ſed ea in aliud tempus differre malo, quum & altiùs rem inſpexero, & pluribus experimentis virtutes eorundem confirmatas habuero.

Epiſtolæ tres

A VV. Celebb. RIC. FREWIN,

EDV. WILMOT, GUIL. LEWIS,

M. DD.

ORNATISSIMO VIRO
R. RUSSELL, M.D.
RICARDUS FREWIN S.P.D.

CUM *Oxoniam* jampridem inviſeres, & mecum unà & Doctore *Lewis*, ad Valetudinem Filii tui curandam, ſociam Operam navares, Sermones ſæpe inter nos exorti ſunt de Rebus Medicis, ac præſertim de Medicamentis quibuſdam, vel minùs notis, vel parùm explicatis. Hæc inter Colloquia, in *Aquæ Marinæ* Mentionem incidimus, quam Tute Ipſe ad Scorbutum, & ad permultos Morbos, ex Glandularum Tumoribus oriundos, jamdudum in Medelam adhibueras: cumque Tibi viſum eſſet, ſuper *Aquâ Marinâ*, plenam Diſſertationem conſcribere, petiiſti à Me, ſiquid de illius Uſu exploratum habuerim, ut id Tibi impertirem. Libero itaque Fidem, VIR Ornatiſſime, Hiſtoriamque quam pollicitus ſum, tandem ad Te mitto.

Aug. 28. 1744. Acceſſit ad Me Fœmina, Clerici rure habitantis Uxor, Mater plurium Liberorum. Erat, ſiquæ alia, Habitûs robuſti; Succi & Sanguinis plena; Capilli nigri; Color in Vultu rubicundus, ad Flavedinem vergens; Oculi Aurigine tincti; Pulſus validus; Temperamenti ſanguinei ad bilioſum accedentis manifeſta Indicia. Quere-

X batur

batur de Doloris Colici, & Icteri Symptomatibus frequenter revertentibus. Ab his ubi immunis eſt, nullum Cibi Faſtidium urget; nulla Stomachi Subverſio, aut Vomitio; nulla poſt ſumtum Cibum Nauſea, aut Abdominis Inflatio; nulla Inteſtinorum Tormina. Ingruente verò Cruciatu, Pulſus validus eſt & celer; Lingua ſcabra & flaveſcens; Alvus juſto ſiccior, Fæces albidæ; Urina craſſa, aliquando rufa, ſæpius crocina.

Cum igitur Animo repeterem, quòd Dolor iſte haud vagus atque inſtabilis, neque juxta Renes, neque ad Dorſum, neque circa Umbilicum, neque ad ſiniſtram Partem Iliorum procurrens, in dextro Hypocondrio præcipuè inhæſerit, atque per Equitationem, & Exercitationem, Motumque quemlibet vehementiorem, plerumque exacerbari ac ingraveſcere conſueverit; judicavi Morbum hunc non acri alicui Materiæ, aut Humoris biliosæ redundantiæ, ſed Calculis, vel in Ductibus Jecinoris bilariis, vel in Veſicâ Fellis, ſubſiſtentibus Ortum ſuum atque Incrementum debere. Itaque nè ex Doloris Pertinaciâ, vel Inflammatio, vel Febris accederet, miſſus eſt è Brachio Sanguis ad ℥xij.

Cruoris Superficies admodum rubicunda & rutila; Pars inferior prorſus nigricans; Serum vireſcens, & planè Bile tinctum.

Iſthâc

Iſthâc igitur Nocte Bolum ſumſit Ægrota, confectum ex

Hydrargyri Alkaliſati ʒß. *Sperm. Ceti gr. xij Spec. Diambr. s. od. gr. iij Conſ. Flor. Malvæ* ℈ß *Syr. Violar. q. s.*

Et Mane proximo hanc Potionem;

℞ *Mannæ opt.* ℥j *Salis Glaub.* ʒiij *ſolve in Aq. Lactis alexit.* ℥iiß, *& cola; tum adde Syr. de Spinâ cerv.* ℥i *Elix. Salutis* ℥ß *Sp. Lavend. comp.* ʒj *m. f. Potio, quam capiat primo Mane, & ſuperdormiat ſi poterit.*

Monui inſuper ut Fæces omnes, Aq. tepidâ dilutæ, per Cribrum trajicerentur.

Aug. 29*no*. Sexies mota eſt Alvus, & in Cribro reperti ſunt Calculi ſupra centum, Magnitudine & Figurâ diverſi, Coloris extrinſecus bruno-nigricantis, intus flaveſcentis, quales in Med. Syſt. Tom. 4. Part. 2. Sect. 2. Cap. 3. deſcribit *Hoffmannus*, Scriptor è *Medicis tranſmarinis*, omnium longè Præſtantiſſimus.

Peractâ ad hunc Modum, & cum hoc Eventu Catharſi, quoniam aliquantulùm Languida videbatur Ægra, Horâ Decubitûs ſumendam hanc *Medicinam* præſcripſi:

 ℞ *Salis*

℞ *Salis Abſinthii gr. xxv Succi Limon. recentis ʒvj vel q. ſ. ad Saturationem Salis; Aq. Cinnam. tenuis ℥j Nephriticæ ℥ß Syr. de Croco ʒiij tinct. Spec. Diambræ gtt. xx Ocul. Cancr. ppt. gr. xv Salis prunellæ ℈ß m. f. Hauſtus Horâ Decubitûs ſumendus.*

Deinde verò, ut Jecinoris Vitio, & Dolori Colico ſimul proſpicerem, ſequentia præcepi:

℞ *Rad. Petroſelini, Aſparagi aa recentis & inciſæ ℥ß hiſce affunde Aq. Fontanæ bullientis ℥xx fiat Infuſio in Vaſe fictili vitrato & clauſo, per Horæ quadrantem: Liquoris colati, & ſubſidendo depurati ℥xiij adde Aq. Nephriticæ ℥i Syr. de 5 Rad. Aper. Violarum aa ℥ß Salis Prunellæ, Tart. regenerati aa ʒj m. capiat hujuſce infuſi ℥iv tepidè, ter in 24 horis, quotidie.*

℞ *Saponis veneti, Tart. regenerati aa ʒß ſolutis in Aq. Fœniculi ʒx adde Aq. Cinnam. tenuis Nephriticæ aa ℥ß Syr. de 5 Rad. aper. ʒiij f. Hauſtus, quem capiat primo Mane, Horâ quintâ poſt Meridiem & Horâ Decubitûs.*

Intra tres Dies evanuit Icterus: quoniam verò Coli Dolor ſubinde rediret,

Sept.

Sept. die 2do & 13^{tio}. Repetita eſt Catharſis ad Normam ſupra præſcriptam, & cum eodem Succeſſu: elotis etenim Fæcibus reperti ſunt per multi, quales priùs memoravi, Lapilli.

Oxoniæ commorata ad quintam Hebdomadam ab Ictero & Dolore Colico plerumque immunis, perſtitit in Medicamentis, & prope quotidie Lapillos aliquot deſidendo excrevit.

Domum tandem reverſuram, hortatus ſum ut *Bathoniam* migraret, tum *Aquæ Thermalis* potandæ, tum *Balnei ſubeundi* Gratiâ, quorum conjunctâ Ope, permultos in hujuſmodi Morbis, ad Sanitatem perveniſſe obſervaveram. Cum verò id non liceret per Rei domeſticæ Negotia, conſului ut Medicamentis infrequentiùs aſſumptis, *Aquæ Marinæ* Selibram omni Mane Horâ 5tâ potaret, utque inſuper ob tollendam, vel vitandam Sitim, quæ ex Potatione *Aquæ Marinæ* plerumque importuna eſt, per Horam unam aut alteram, in lecto dormiret.

Poſt aliquot Menſes mihi nunciatum eſt, hanc Fœminam Lapillos ſupra trecentos excreviſſe, ſanamque & Dolore vacuam permanſiſſe. Biennio abhinc Gravida facta, Infantem enixa eſt vegetum & validum. Etiamnum vivit valetque ab Ictero libera, & Dolore Colico rariſſimè tentata.

Memini Virum (priuſquam *Aquæ Marinæ* Vires perſpexeram) in cujus Inteſtinis adeo largus erat

Mate-

Materiæ Bilioſæ & Lapideſcentis Proventus, ut & ſibi viſus, & apud Medentes aſſiduè queſtus eſſet, tanquam Catenâ ferreâ intus conſtrictus: cumque ipſius Sedes haud rarò inſpicerem, videbantur quaſi *Laterum diffractorum* fruſtula, Fæcibus obvoluta.

Novi pariter Calculos in Veſicâ Fellis, tantæ Molis aliquando formatos, ut iis nullo Modo per *Ductum Cyſticum* tranſire liceret.

Fæmina honeſtæ Familiæ, & Fortunæ Dotibus inſignis, Coli Dolore per plures Annos ſæpenumero cruciata, celeberrimorum inter *Londinenſes* Medicorum Conſiliis uſa, ſæpius ineunte Vere, Thermas *Bathonienſes* adierat; ſæpe Autumno, Acidulas potaverat *Tunbrigienſes*. Anno autem 1740, & 1741, ante Initium Æſtatis, Valetudinis ſuæ Curam mihi, tum *Bathoniæ* agenti, commiſit. Ibi rarò & leviter indoluit: verùm potando Aquam Thermalem, & Balneum pro More ſubeundo, certum quotannis reperiit Ægritudinis levamentum. Anno 1744, Domi in Agro *Buckinghamienſi*, 13. *Junii*, Acerrimis Inteſtinorum Spaſmis, & immaniſſimi Doloris Tormento, de improviſo afflicta, peracutâ Febre & Viſcerum Inflammatione correpta, intra ſeptem Dies occubuit. Morbi Cauſam tandem patefecit Culter Anatomicus. Aperto enim Cadavere, præter *Abſceſſum in Jecinore*, in *Cyſtide Fellis* reperti ſunt ſex Calculi nigreſcentes, ſibi invicem propemo-

dum

dum cohærentes, ſinguli Nucis Moſchatæ magnitudinem adæquantes. -- In hâc Fæminâ, nulla unquam comparuerunt *Auriginis* ſigna. Quis Status Sanguinis, aut Quæ Jecinoris Conditio ſit, quæ iſtam Bilis Copiam generet, vel Homines ad hujuſmodi Lapillos formandos diſponat, nec *Otium*, nec *Ingenium* mihi eſt explicare. Id unicè annotare volui, quantam in hujuſmodi Morbis ſublevandis Vim habeat, unà cum Remediis, ex *Hydrargyro*, & ex *Sapone* confectis, quotidiana *Aquæ Marinæ* Potio.

Eſt & alius Caſus, iſque ſatis Notatu dignus, in quo *Aquam Marinam* plurimum profuiſſe nuperrimè expertus ſum.

Adoleſcens Annorum ſedecim, Collegii *Wintonienſis* Alumnus, Habitûs tenuioris & laxi, præproperè procerior factus, ideoque imbecillis; fluviorum amans, & nandi peritus, per Æſtatem proximè elapſam, vicinum Amnem (bis vel ter die) frequenter ingreſſus eſt, & juſto diutiùs natare conſuetus, Domum ſæpenumero rediit languidus & præ Frigore horreſcens.

Circa Finem Æſtatis, de Dolore in Abdomine, de Alvi Siccitate, & Adſtrictione inſolitâ queſtus eſt apud Pharmacopolam, qui Potionem purgantem, & Electuarium aperiens præcepit, quorum Uſu Symptomata illa protinus evanuerunt, viſuſque ſibi eſt Adoleſcens ſatis ſanus.

Circa

Circa Medium *Septembris* 1748. obſervabant Condiſcipuli Manuum Brachiorumque Geſtus abnormes, Oculos diſtortos vel prominentes; Caput inter loquendum ad alterutrum Humerum jactatum, Motuſque alios Membrorum perridiculos, quales in Morbo *Chorea Sti Viti* dicto memorat *Sydenhamus*. Acceſſit tandem Inſtabilitas ſiniſtri Cruris, quod adeo ægrè traxit, ut abſque Sociorum Ope Cubiculum tranſire haud potuerit.

Hæc Symptomata, Nervorum Reſolutioni potiùs quàm Diſtenſioni, recte tribuit Clariſſimus *Meadus*; & profectò in hoc Adoleſcente, ita reſoluti videbantur Linguæ Pharyngiſque Muſculi, ut vix Verba articulatè eloqui, vix Cibum in Os ingeſtum deglutire potuerit: dum in Lecto cubabat, Lingua quaſi intumeſcens extra Dentes exerta, & perpetuus Salivæ ex Ore Fluor. in hoc Rerum Statu Ægri Curam habuit D. D. *Hen. Bowles*, Medicus *Wintonienſis* peritiſſimus, qui Sanguinem bis detrahi ſtatiſque Intervallis Catharſin quater inſtitui juſſerat; & Remedia ex *Confec. Cardiacâ*, *Pulv. ad Guttetam*, *Caſtoreo*, & *Sale Succini vol.* compoſita, cum Decocto *Cort. Peruviani* præceperat; aliaque id Genus Medicamenta, qualia in hujuſmodi Morbis, Probatiſſimi commendant Authores. *Veſicatoria* etiam Nuchæ & Carpis apponi curaverat.

Circa

Circa Initium *Novembris* quum omnia in deterius ire viſa ſunt, petitum eſt à me Conſilium. Monui igitur ut Die *Nov.* 7*mo* detraheretur Sanguis ad ℥x vel ℥viij, utque 8*vo* repeteretur Catharſis, quoniam poſtero Die, ſcilicet 9*no* futurum eſſet Novilunium; quippe ad Lunæ Circuitus, plerumque exacerbari hujuſmodi Morbos, rectè annotavit Cl. *Meadus*, aliique Artis Medicæ peritiſſimi Scriptores.

Suaſi etiam ut bis Die Elect. ſumeret Æger è *Cort. Peruv. Rad. Valerianæ Sylv. maj.* & *Cinnab. Antimonii* confectum: inſuperque hortatus ſum ut quàm citiſſimè *Southantoniam*, *Aquæ Marinæ* tum *potandæ*, tum ejuſdem, vice *Balnei Frigidi*, *ſubeundæ* Gratiâ, migraret. *Hantoniam* delatus, in Mare demiſſus eſt Mane die *Nov.* 17*mo*, & alternis deinde diebus.

Nov. 23*tio*. Poſt quartam Maris ſubeundi Vicem, multò meliùs ſe habuit, etiamſi hâc Nocte, plenilunio inſtante, paululum ingraveſcerent ſymptomata.

Nov. 24*to*. Hâc Nocte & deinceps quotidie, vel Cubitum iturus, vel Mane primo, *Aquæ Marinæ Selibram* hauſit; quotidie etiam in Mare demerſus eſt.

Nov. 27*mo*. Omnia in melius mutata. Manuum Digitorumque Geſtatio multò infrequentior. Liberior Linguæ Uſus. Suborto autem Me-

dicamentorum Faſtidio, ſuaſi ut reliquâ Medicinâ ſepoſitâ, *Aquæ Marinæ* Potationi, & Immerſioni quotidianæ, unicè inniteretur.

Nov. 30*mo*. Intra triduum rediit Cibi Appetitus. Major jam Artuum Stabilitas, Voces magis articulatè prolatæ.

Dec. 12*mo*. Quotidie venit à Balneo, Animo alacrior, & Membris validior, & in Verbis expromendis promptior. Neque Die Menſis nono, imminente Novilunio, aut Spaſmi acceſſerunt, aut Tremores, aut leviſſimum in aliquo Morbi Symptomate, Incrementum.

Juſſi igitur ut in eâdem Methodo continuò perſiſteret, donec ad integram Sanitatem perveniret.

Jan. 11*mo*. Certior tandem per Literas factus, Adoleſcentem ex Morbo prorſus convaluiſſe; conſului ut ad priſtinam vivendi Rationem gradatim deſcenderet: ſcilicet ut primùm ter; deinde, bis; tandem ſemel tantùm in ſeptenis Diebus, in Mare ſe demitteret; rariúſque ac parciùs, alternâ ſolummodo Nocte, aut Mane, *Aquam Marinam* potaret.

Feb. 8*vo*. Amicos viſendi, & Animum recreandi cauſâ, Adoleſcens *Oxoniam* venit firmus ac valens; ad *Wintoniam* propediem rediturus.

His

His utere, Vir Clariſſime, prout libuerit. Perge autem Rem Medicam, in quâ jamjudum ſummâ Induſtriâ elaborâſti, Judicii Tui Acumine illuſtrare, & Experientiæ Tuæ Authoritate ſtabilire.

Oxon. 6to. *Kal. Mart.* 1748.

CLARISSIMO VIRO

RICARDO FREWIN, M. D.

S.

NON mediocres ſanè, VIR Ornatiſſime, Tibi Gratias habeo, quòd & Opuſculum meum Tuo judicii acumine elimaveris, Tuaſque etiam, ut id utilius prodeat, ſuper eâ Re Animadverſiones mecum communicaveris; & in utrâque Parte Officium Amici non vulgaris præſtiteris. Neſcis profectò, Quantum Tibi Tuoque Exemplo, quo quaſi ductus fui, referendum ſit, quòd Viam Rationemque, quâ Secretiones Glandulares tractari debeant, eâ Animi Intentione ſim proſecutus: & vix quidem ſuſpicaris, quòd Ipſe olim quaſi Digitum ad Fontes intenderis. Mihi enim legenti prudentiſſimorum & doctiſſimorum Virorum Epiſtolas, quas Calci ſui de *Febribus* Commentarii Clar. *Freindus* ſubtexuit, quarumque Ipſe Numerum Tuo Nomine auxiſti, perſpicuum ſatis fuit, Vos in Illâ Variolarum Febre curandâ, quæ Morbo jam recedente ſubingreditur, Spes Veſtras maximas in Materiâ Morbidâ per Inteſtinas Glandulas educendâ, uno Conſenſu Omnes poſuiſſe. Atque id quidem Naturam ſæpenumero efficere *Diarrhææ* Ope, in eodem Opere obſervavit Celeberrimus *Meadus*, cui ſcis

quan-

quantum non Nos ſoli, qui Medendi Artem profitemur, ſed & omnes etiam, quicunque humaniores Literas Ardore aliquo Amoris proſequuntur, pro ſuo ſingulari politioris Doctrinæ Cultu & Patrocinio debeant.

Igitur cum prudentiſſimorum Medicorum Opinionibus hâc in Re conſenſum eſſe viderim, nequaquam id ſcilicet timentium nè in Sanguinem Materia Morbifica reverteretur, quod tamen plerumque Medentes torquebat; cumque illos obſervaverim, relictâ Medentium Viâ tritâ & vulgari, tum perennem ſibi Honorem conquiſiviſſe, tum optimè de Genere Humano meritos fuiſſe; Animo non ampliùs hærebam, nec ullo Modo dubitabam, quin eadem Secretio per Inteſtinas Glandulas diutiſſimè continuata, quàm plurimis Caſibus chronicis, ubi Morbi aliqui vel Glandulas, vel laxiores quaſdam Corporis Partes diutiùs occupaverant, certiſſimè eſſet profutura.

Nam ſi Catharſis reſinoſa abſque ullo Periculo in Febre eruptivâ dari poſſet, facilè mecum ſtatuebam Salinum purgativum pari Modo poſſe adhiberi, cum nec acutus eſſet Morbus, nec Febre ullâ comitatus. Sed illud interim difficillimum futurum eſſe mihi videbatur; nimirum unde depromere poſſem iſtiuſmodi Medicamentum, quod & *purgativi* & *alterativi* ſimul Officiis fungeretur, quodque non tantùm ad obſtructos Tubulos detergendos,

tergendos, & ad elicienda redundantia, ſed & ad Fibrarum etiam Tonum confirmandum faceret.

Itaque, circa *annum* 1724, quum Literas illas denuo perlegiſſem, de tractandis Secretionibus Glandularibus, diverſiſque, quæ ad diverſas Partes adhiberi poſſent, Medicamentis, quaſi Schedulam quandam contexui, & ad Amicum meum Doctiſſimum *B. S. Albinum*, in Academiâ *Lugduni Batavorum* eo Tempore Profeſſorem, tranſmiſi. Sed ut ea, quæ tum imperfecta, & rudia mihi exciderunt, vix hâc ſint Ætate digna, & hoc Uſu, quem Annorum plurium Intervallo conſecutus ſum, viſum eſt aliquid eâdem de Re politiùs proferre: præſertim quoniam, Uſu *Aquæ Marinæ* perſpecto, videbar mihi Remedium tandem inveſtigaſſe, quod abſque ullo Periculo propoſitum Opus efficeret.

Nec pauxillum quidem ea me confirmabant quæ, Lumen Academiæ Veſtræ, Idem Ille *Freindus*, Literis commiſit; nempe tam ea quæ de Excretione Inteſtinali, quàm de purgando, in Capitis Eryſipelate, compoſuit. Et ſicut Ipſe quidem hunc Morbum ſæpenumero Salis *Glauberii* Ope feliciſſimè tractatum videram; ita, ſi quis adhuc Animo Scrupulus inhærebat, omnem ea Cogitatio facilè expulit.

Atque his ferme Argumentis adductus, ſatis eſſe perſpicuum arbitrabar, has Vias & hos Exitus

tus Naturam conformâſſe, qui præ aliis omnibus Medici Arbitrio ſubjici poſſent: & ubicunque id Valetudo poſtularet, Exitum quendam ſalutarem, aut redundantibus, aut nocentibus ſuppeditarent.

His verò præmiſſis, reſtat aliud quoddam præter iſta, quæ in Opuſculo meo ponuntur, de quo eſſe aliquid dicendum videtur: præſertim cum Occaſionem inſpiciendi Effectûs ejus in Caſu pereleganti, quem ad me miſiſti, de *Choreâ Sti Viti*, Tute Ipſe dederis: illa intelligo, quæ in *Balneo frigido* utendo debent obſervari. Et id quidem eò libentiùs facio, quòd *Marinæ Aquæ* Uſus ſive internus, ſive externus, non ſanè talis ſit, à quo nec Commodum neque Detrimentum ullum expectare Nos oportebit. Sed putandum eſt, ut alicubi Celeberrimus *Meadus* obſervavit, ex omnibus Rebus, quas Noſtra Ars amplectitur, Nihil proficere, quod non & nocere etiam poſſit.

Scribam autem Tibi hâc ſuper Re, non obſervato Ordine aliquo, vel Normâ ſcribendi, nec ut accuratum quid de *Balneo Frigido* promam; ſed utcunque omnia in Memoriam venerint, in Chartam effluere ſinam.

Primùm igitur notandum eſt, *Balneum* neque *Frigidum*, neque *Calidum*, petendum eſſe ſtatim poſt Cibum Potumve liberè aſſumtum. Quod quidem ita ſedulò cavebant Veteres, ut poſt Egreſſum è *Balneo Calido* tum à Cibo, tum à Potu quoque
abſti-

abſtinendum eſſe aliquantiſper, judicarent. Sed in *Balnei Frigidi* Uſu melius reſpondet aliquantillum *Aquæ Marinæ* hauſtum ſtatim poſt Egreſſum è Mari; quod Alvum ducendo facit nè in Caput Sanguis ſubvolet, & à Capitis Dolore Ægrum liberum ſervat. Neque hâc quidem Ratione obſervatâ, Sanguis per Naſum erumpit, (quod alioquin nonnunquam accidere ſolet,) nec Cervicis Glandulæ Diſtenſioni obnoxiæ ſunt; quâ nonnunquam tentantur, cum in *Balneum Frigidum* Ægri præmaturè deſcendunt.

Magna porro tam Animi, quàm Corporis Quies ante *Balnei Frigidi* Uſum obſervanda eſt. A Labore, atque Exercitatione omni Partium affectarum temperandum eſt; ut eo modo majorem, ubi Fibræ ſeſe contraxerint, ad Obſtructionem aliquam perrumpendam, Vim habeant: quod tamen ſi Labore aliquo prædelaſſentur, moleſtiùs effici poteſt. Hoc autem eò magis cavendum eſſe moneo, tum quòd nonnullos poſt Venationem, vel alias Ruris Exercitationes, nullâ Rerum, nullâ Temporum Ratione habitâ, *Balneum* ingredi viderim; tum quòd alio Modo à nonnullis aliquando peccatum eſſe obſervaverim. Etenim ſicut *Aqua Marina* ad corroborandas Fibrarum Poteſtates debilitatas multùm facit, ſi poſt Evacuationes debitas, & poſt Obſtructiones internis Remediis aliquantulùm allevatas, adhibeatur; ita eandem etiam *Aquam*, Plenitudine

ali-

aliquâ, vel Tubulorum Obſtructione permoleſtâ adhuc urgente, nocuiſſe vidi. In illis enim Caſibus ſolida diſtenduntur, & proinde magis debilitantur; quippe quia Vi magnâ illud ejicere conantur, quod in iſto Rerum Statu nullo Modo ejici poteſt.

Atque illud quidem non ſemel Ipſe obſervavi, & aliquando ubi in Articulo Genu Tumores duriuſculi inhæſerant, & Aquam frigidam in Partem morbidam infundendam, & *Balnei* quoque *frigidi* Uſum, etiam poſtea quàm Obſtructiones internis Remediis imminutæ fuerint, ſuaſeram, vel ibi à Balneo præproperè adhibito Res fluere, & retro ferri videbantur.

Licet autem de illis Ægris, utpote qui ſanari nullo Modo poſſent, nonnunquam deſperarem; tamen poſt iteratos Febrium intermittentium Paroxyſmos, unde magnam Mutationem paſſum erat Glandularum Syſtema, & quum viſcida illa, quæ in Partem affectam diu fuerant congeſta, Ratione aliquâ diſpoſita fuerint, ita ut moveri poſſent; tum vel eos ipſos *Aquâ Marinâ*, & *Balneo frigido* facilè curatos vidi.

Tum Cura etiam quàm maxima adhibenda eſt, ut an Viſcera ſint ſana, necne, ante Balnei Uſum perſpectum habeamus. Nam ſi Pulmo, vel Jecur, vel Pancreas, vel Lien, vel Meſenterii Glandulæ Morbo aliquo, vel Putredine, vel Scirrho, tententur,

tur, Balneum nocebit. Licet enim in Regio Morbo *Celſus* per Æſtatem Natationes frigidas ſuadet; & *Antonius Muſa* quoque, ille *Balnei frigidi* Fautor Paterque, *Suetonio* auctore, contra Jecinoris Obſtructionem, quâ poſt Iter *Cantabricum* laborabat *Auguſtus Cæſar*, *Balneum frigidum* præſcripſerit: tamen ii, qui ejus Imperatoris Caſum tradunt, ita inter ſe diſcrepant, & Rem adeo diſſimiliter narrant, ut exinde nulla, quæ Rationi innitatur, Praxis deduci poſſit.

Aquam verò *Marinam* ſæpenumero in Ictericis profuiſſe vidi; & in Regio Morbo *Celſus* Aquas ſalſas, & ſalſa Vina pro Remediis præcipuè tradit. Sed Ego quidem nunquam Balneum ineundum jubeo, donec Jecinoris Obſtructiones ex Parte ſublatæ fuerint. Eſt & aliud quoddam *Balnei frigidi* Genus; nimirum ubi Aqua vel decidat in Partem affectam, vel infundatur: ſed & illud quoque Morbo Vim atque Incrementum addet, ſi nondum ſatis de Obſtructionibus ſublevandis cautum fuerit: quippe quòd & crebras Nervorum Vibrationes, & Membranarum Contractiones faciat.

Verùm, ubi ante Balnei Uſum neceſſe eſt, ut à morbidâ Parte ſuſtrahatur Onus, & ut Revulſio facta ſit, Emetica plurimùm profuiſſe animadverti; ſed vel præcipuè in Morbis Glandularum Uterinarum, atque Articulorum. Maris autem Balneum

neum plerumque primo Mane ineundum; quia non tam eſt frigidum, quàm ſunt alia nonnulla; & in plurimis Caſibus aliquantillum *Aquæ Marinæ* ſtatim poſt Egreſſum è Mari bibendum jubeo: quod plerumque citò ſibi Viam aperit, & Ægrum hilari Animo, bonoque eſſe in Cibum Appetitu facit. Tum Vice *Aquæ Marinæ* Partibus morbidis infuſæ, Frictionem leviuſculam è Quercu Marinâ ſine Veſiculis à Scopulis modò evulſâ, præſcribere ſoleo. Tum in Paralyticis *Aquæ Marinæ Calidæ* Embrocationem, & Partis affectæ Frictionem, vel ut Noſtri vocant, *the Fleſh Bruſh*, ſuadeo; ut reſeretur ejus Partis Obſtructio, donec per Evacuationem univerſam, Balneo idoneus factus ſit Æger.

Hi verò, Paralytici ſcilicet, multùm delaſſari ſolent, & maximè à Spirituum Animalium Diſſipatione languent, ſi fervente Sole Balneum ineant; quippe qui Calorem ægriùs multò quàm Frigus patiantur. Quantum autem illorum Ægritudinem frigida Tempeſtas ſublevet, vel exinde patet, quòd Hyemis Frigore graviſſimè ſæviente, meliùs deambulent, quàm ubi Aer, & calidus & humidus eſt. Et licet Maris Exhalationes, quæ per Solis Calorem eliciuntur, uberrimæ ſint, tamen & humidæ ſunt & relaxantes, & orbatæ Sale iſto, qui Tonum Solidis firmum donat. Etenim parum, vel nihil etiam Salis Marini Ope Solis exhalatur; quod vel ab Experimento quodam Nobis ab Antiquis tradito li-

quet: quorum Nautæ dulcis Aquæ gratiſſima ſæpe, licet haud uberrima ſubſidia, hoc Modo ſibi comparabant. "[a] *Sæpe navigantes Defectu Aquæ dulcis laborant. Hæc quoque Subſidia demonſtrabimus. Expanſa circa Navim Vellera madeſcunt accepto Halitu Maris, quibus Humor dulcis exprimitur.*"

In Paralyticis autem, purgantium & *Balnei frigidi* Ratio, quantum mihi conjectari liceat, optimè, ſi quæ alia, reſpondet. Is enim videtur Morbus exinde ſubnaſci, quòd relaxetur Partium Tonus; atque ita, Calore urgente, major fit per Cutim Evacuatio; Spiritus animales diſſipantur, & Urina fluit uberior. Quas quidem Evacuationes Alvi conſtipatio ſequitur; quæ nonnunquam adeo moleſta eſt, ut Dierum plurium Spatio, nullis Auxiliis ſubmotis, Alvus ſæpenumero nihil reddat. In his igitur Caſibus, ſi rejiciatur *Aqua Marina*, neceſſe eſt omnino ut per aliquod aliud Purgativum Venter deducatur. Et profectò ſi per Alvum decies plus quàm quod Naturæ Normâ ejici ſoleat, Artis Auxilio excernatur, tamen, ut obſervat Ille *Sanctorii* Explicator, non magis Ægrotantis Vires frangit, quàm ſi dupla ſit per perſpirationem Evacuatio. Sed *Aqua Marina Frigida* Fibras totumque quidem habitum firmum robuſtumque efficit. Et licet non omnino fortaſſe Paralyſis Curationem perficiat; tamen debitis Evacuationibus

a *Plin.* Nat. Hiſt. l. 31. c. 6.

bus præmiſſis, interniſque Remediis adhibitis, plerumque magis aliâ quâvis Ratione, ut arbitror, prodeſſe ſolet.

Tibi autem fortaſſe *Balnei Marini* Uſus poſt Fotum ab *Aquâ Marinâ Calidâ* quum *Bathoniæ* ageres, in Mentem veniſſe potuit. Namque ibi, ut pluribus abhinc Annis ab Amico meo Docto, & Perhumano D. D. *Oliver*, Medico *Bathonienſi*, audivi, *Balneum Calidum*; quo ſcilicet attenuandum, & diſſipandum ſit; & plurimùm, & feliciter quoque ante *Frigidi* Uſum celebratur. Quin & ſupra alicubi, niſi fallor, obſervatum eſt, quòd ſi *Aqua Marina*, & *Balneum Frigidum* malè reſpondeant, Rationem omnino contrariam ineundam eſſe ſemper mecum ſtatuerim: quódque ſæpe etiam Morbos, qui Vim omnem tam *Aquæ Marinæ*, quàm Balnei priùs ſpreverant, poſt *Balneum Tepidum*, & Lactis aſinini Uſum, expulerim.

Scripſi præterea, in Commentariolo meo de *Aquæ Marinæ* Uſu in Morbis Glandularum uterinarum. Si verò de *Balneo Maris Frigido* tum in Melancholiâ cum Maniâ, tum in Canis rabidi Morſibus, tum in Frigiditate ab immodico Veneris Uſu ſuperveniente, ſcire velimus, & quantum Secretiones omnes Glandulares adjuvet; Noſtræ Artis Scriptores conſulendi ſunt, quorum plurimi Vires ejus ſummis Laudibus efferunt.

Poſtre-

Poſtremò autem obſervandum eſt, Balneum Maris, tam inſigniter in Scorbutis & Eruptionibus pleriſque cutaneis pollere, non ſolummodo quia Sales quibus ſaturatur multùm detergent, Cutimque meliùs quàm Aqua Vulgaris expurgant; ſed quoniam ſe per Cutim in Glandulas inſinuat, & earum Succis immiſcet, & Pituitam, & Viſcida, quæ Tubulos Glandularum obſtruunt, mirè expurgat, & Morbi tam internas Cauſas, quàm Cutis externas Defœdationes ſublevare ſolet.

Hîc autem, Doctiſſime Vir, ſcribendi Finem aliquando faciam, nè ſcilicet quod ad Te mitto, non tam Epiſtola, quàm Libellus videatur: abundè mihi gratulaturus, ſi Tibi, Viro Summo, & in Academiâ Florentiſſimâ Medendi tanquam Magiſtro, hæc mea qualiacunque arriſerint Ratiocinia. Vale.

Ornatissimo Viro
R. Russell, M.D.
Edvardus Wilmot S.P.D.

DARE ad Te Literas, Amice Vir, eo Animo de Induſtriâ diſtuli, ut quantum prodeſſet ad Strumas, tam Potui data, quàm extrinſecus applicata, *Aqua Marina*, ulterius Uſu comprobarem, itaque comprobatum, Tecum, id quod rogas, communicare poſſem. Quod in Votis erat, tandem mihi contigit.

Hiſtoria Prima.

Mulier quadraginta Annos nata, cætera ſana, liberiore uſque ab Anno Ætatis decimo quinto Catameniorum Fluxu, tunc Temporis autem parciore uſa, in talem Naturalium pruriginem incidit, ut vix, aut nè vix quidem, à ſcalpendo interdiu temperaret, totas verò Noctes inſomnis ageret, niſi *Opio* in Auxilium vocato; quod tamen Pruriginis Senſum, non Pruriginem ipſam auferebat, imò indies augebat. Ad Cumulum Mali acceſſit Ardor cum Duritie quâdam circa Naturalia, qui miſeram afflixit. Cum ab omni Chirurgicâ Contrectatione penitus abhorreret pudicæ Matro-

Matronæ Animus, accerſitur, me monente, Obſtetrix, quæ complura dura Tubercula, ad Piſi Magnitudinem accedentia & internis Naturalium Oris latentia, comperiebat. Cum ita ſe Res haberet, & nec *Medicamentis Sulphuratis*, nec *Mercurialibus*, nec Aquis *Holtenſibus*, *Scarburgenſibus*, *Cheltenhamenſibus* frequentatis, & plures quotannis Hebdomadas hauſtis, cederet Morbus importunus, & nè leniretur quidem, ad *Aquam Marinam* confugio; de cujus Vi ſingulari, in reſerandis Glandularum Obſtructionibus, olim Tuâ Fide, nunc propriâ Experientiâ certior factus, juſſi quotidie mane ſe in Mari lavare, *Aquæ Marinæ* Libram dimidiam ſtatim poſt Lavationem bibere, interpoſitâque Horâ, tantundem ſumere; Partes vexatas *Eâ* ſæpius in Die fovere, & Noctibus Linteamentum, eâdem tepefactâ madidum, in Naturalia inſinuare, inibique relinquere. Spatio ſex Hebdomadum vix elapſo, convaleſcebat quotidie Mulier, Prurigo cum Ardore quievit; quod durum, molle; quod aſperum, læve evaſit; & Tubercula, inter octodecim alias Hebdomadas, ex toto evanuerunt: ſimulque cum illis, quod Operæ Pretium eſt notare, evanuit alius Tumor, ejuſdem proculdubio Proſapiæ, qui diu Mento fœdè ſe in Conſpectum dederat.

Hiſtoria

Hiſtoria Secunda.

Puella Natu nobilis, Annum Ætatis decimum ſextum vix egreſſa, duris ſtrumoſiſque Tumoribus juxta Mammas, ſub Auribus, & in aliis Cervicis Partibus continuè oriundis, eouſque vexata eſt, ut nulla Malorum Requies, nullus Medicaminum Finis eſſet. Cernere erat hîc forſan Nodum naſcentem, creſcentem, ſuppurantem, Sanatu difficillimum; & Cicatrice vix obductâ, alium alibi de novo pullulantem, maturaſcentem, futurorum triſte Exemplum.

Cum in eo Loco Res eſſet, & Ægræ Patientiam, & Medicorum Chirurgorumque optimorum Operam fruſtra navatam, diu exercuiſſet Morbus, nec quicquam Opis *Calomeli*, *Mercurius præcipitatus* per ſe, aliaque ex *Mercurio* afferrent Remedia; cum *Spongia uſta*, *Corallina*, *Millepedes*, *Aquæ Calcis vivæ*, cum decantatâ illâ Infuſione *Boyleanâ* ex *Paronychiâ*, accedente Aquarum purgantium Uſu, parum proficerent, & leniendo quidem nonnihil, diſcutiendo autem & radicitus tollendo minimè inſervirent, initis cum *Ranbeio* Chirurgo Regis primario, Artiſque ſuæ longè Præſtantiſſimo, Conſiliis, novam *medendi* Methodum inſtituimus.

Quotidie mane ſe in Mare demittere, ejuſdem Aquæ quantum Alvo bis terve ducendæ ſufficeret, bibere, eâdem tepidâ, & Ulcera, & induratas Glandulas ſæpiùs lavare jubemus.

Hâc curandi Ratione ultra duos Menſes vix adhibitâ, Ulceribus Cicatrices obductæ ſunt; & Nodis ſtrumoſis his penitus diſperſis, illis emollitis, priſtinæ ferè Sanitati reſtituta eſt Virgo nobilis; quæ in Urbem reverſa, & de Remedii *Vi ſalutari* certa, Pocula ejuſdem quotidiana, & Lotionem tepidam, nobis ſuadentibus, per totam Hyemem inſequentem, eâ Felicitate continuavit, ut Valetudinem ſuam jam confirmatam eſſe, & à vetere Morbo ſtrumoſo, & à novis Tentationibus gauderet.

Hiſtoria Tertia.

Puellulæ nobiliſſimâ Stirpe ortæ, ſex Vitæ Annos, & quod exceſſit, numerantis, Labium ſuperius Strumâ intumuit; Glandulæ etiam Axillares utrinque Mole auctæ induruerunt; per Abdomen inæqualiter tumidum Nodi hîc illic duri & Tactui renitentes ſe obtulerunt. Ad hæc acceſſit ſicca ſine Excreatione Tuſſis, & Reſpiratio, ſub Noctem præſertim, paulò impeditior.

Indicia hæc Strumoſa, in Labio & Glandulis Axillaribus manifeſta, Suſpicionem mihi non levem

vem injecerunt, Glandulas tam Pulmonum Bronchiales, quàm Abdominis Meſentericas, eodem Vitio itidem infectas, Duritiem concreſcendo induiſſe, & ni maturè ſuccurratur, Periculum fore, nè in Pus converſæ, ex illâ Parte *Phthiſin Pulmonalem*, ex hâc *Atrophiam* tandem inducerent.

Poſt Sanguinis Detractionem *Aquam Marinam*, ad Menſuram *quinque Cochlearium*, unde Alvus ter plerumque mucoſa atque admodum fœtida dejecit, omni Mane & Horâ Somni Potui dari, & eâdem tepidâ Labium ſæpius in Die lavari juſſi.

Hâc curandi Ratione per Menſem ritè continuatâ, Labium & Glandulæ Axillares emolliebantur, Abdomen ad naturalem Habitum revertebatur, ita tamen, ut quò magis in Ordinem rediret, eò plus illius Nodi, ſub Tumore antea conditi, eminerent & Tactui obſiſterent.

Opus hoc tam auſpicatò inchoatum tres alii Menſes eidem Curationi impenſi (ſi quartum quemque Diem, Quieti datum, excipias) feliciter perfecerunt. Labii enim Tumor ex toto deſedit; Abdominis Nodi, admotis Digitis, non amplius ſentiebantur; Glandulæ Axillares ſenſim diminuebantur, Remedio itidem proculdubio ceſſuræ, ſi tenera Ægræ Ætas diuturniorem Uſum ejus tuliſſet. Potiones verò toties repetitæ, Nauſea, & immodica Sitis, quâ omnes *Maris Aquæ* diutius

uſos cruciari animadverti, Impedimento erant, quò minùs id Temporis earum Tumor penitus tolleretur. Nobiliſſimis enim amantiſſimiſque Parentibus chariſſimæ Filiæ Patientiam non ulteriùs exercere, & tantillas Mali Reliquias minùs moleſtas, quia minùs ſub Conſpectum cadentes, aut Nihili facere, aut in alium Diem differre, viſum eſt. Plura Exempla eorum recenſere in Promptu erat, qui Uſu *Aquæ Marinæ* Strumâ liberati ſunt, ſi minùs Uſui quàm Copiæ ſtuduiſſem. Quæ ſingulare quiddam præ ſe ferre videbantur, ſelegi, cæteris Neglectui habitis, nè ſimilia ſimilibus addendo, actum agere videar. Pauciora non confirmarent, plura Tædio forent, & Epiſtolæ Limites non leviter tranſgrederentur.

Quas Grates *Medicorum Filii* non habituri ſunt, quas Tibi non relaturi, Amice VIR, qui extudiſti, & cum illis communicaſti adeo *facilem*, *tutam*, & *certam* (ferè dixerim) *Methodum medendi Malo*, quod tam illis, quàm Ægris tantum hactenus faceſſit Negotii? Vale.

CLARISSIMO VIRO

EDVARDO WILMOT M. D.

S.

ACCEPI, VIR Ornatiſſime, Literas Tuas humaniſſimè ſcriptas; & licet perſpiciam Animo quantum Amicitiæ Tuæ non uno Nomine debeam; tamen illud vix aptè Verbis exprimere poſſum, & ſentio tantùm. Quod ſcribis, Te eandem de *Aquæ Marinæ* Viribus Opinionem conſervare, quam (quo in me propenſo eras Animo) olim à meo Teſtimonio facilè concepiſti, perjucundum ſanè mihi eſt duabus de Cauſis; quòd nec illud à Te rejectum fuerit Medicamentum, & quòd Expectationem Tuam non fefellerit.

Sed quòd ea quidem Uſu proprio comperta & perſuaſa habeas, maximè gaudeo. Namque eo certè Fundamine & plerumque ſolet, & inniti debet, omnis Medicina. Non enim vel ſplendida Patrocinantium Nomina diu ſuſtentare, & tueri *mala Medicamenta*; vel reprobantium Auctoritas diu ſupprimere atque obſcurare *bona* poſſunt; quin obſtantes tandem aliquando Tenebras, ut ita dicam, perrumpant, & majori Luce effulgeant; licet Progreſſum atque Incrementum ſubnaſcentis alicujus Remedii Auctoritas contra nitentium pauliſper inhibere poſſit. Quod in *Corticis Peru-*

viani

viani tam Ortu, quàm Progreſſu, & nonnullis aliis Remediis mirè efficacibus contigiſſe facilè recordaberis.

Hanc autem *Medendi Rationem*, quo pacto Tibi primò commendavi, eodem ſanè *Rei Medicæ* ſtudioſis omnibus, quibuſcum mihi aliqua interceſſerit Neceſſitudo, propoſui; Facta nimirum quædam, & Experimenta ipſis impertiens, ut Judicio ſuo ea perpendant, & Uſu edocti, poſt annos aliquot ſentiant quantùm hæc polleat Ratio.

Et mihi quidem, quantùm ex meo qualicunque in hâc Re Uſu conjicere liceat, nihil *Mali* exinde, niſi temerè ſumatur, provenire poſſe videtur. Nec quidquam ſanè ab Amicis meis audivi, quæ noxias ejus Medicamenti Vires arguat; immo omnia potiùs, quotquot ab illis Teſtimonia acceperim, Præſtantiam ejus & Virtutes uno Ore collaudant, & confirmant: Tum quòd Obſtructa aperiat, Tumores duriuſculos ſolvat, nonnunquam etiam ubi Oſſium Capita laborabant: Tum quòd univerſum Glandularum Syſtema ab impuris Viſcidiſque purget, & vindicet. Quæ quidem omnia tam mirè, tamque tutò, perficit, ut verè mihi videar dicturus, Secretionum Glandularium, omnium ferme, Moderamen unà cum iſtius Medicamenti Subſidiis, peritorum Medicorum tanquam in Manus tradi.

Quòd ad liberum autem *Aquæ Marinæ* Uſum, ejuſque Qualitatem, quæ ſumi poteſt, non ea Res, ut mihi videtur, tantopere pertimeſcendum eſt: Quod tamen ſuſpicari nonnullos audio. Non enim Ullum memini, quem *Aquæ Marinæ* Copia læſerit; plures autem qui per integri Anni Spatium, conceſſis tantum perexiguis requieſcendi Intervallis, ejus Operâ uſi fuerint, atque etiam cum ſummo Commodo in nonnullis Caſibus maximè pertinacibus. Quin & nunc etiam nuperrimè exhibitum ejus Rei Exemplum ad te mitto. Ægrotam in *Commentario* meo invenies, Congios *Aquæ Marinæ* 25 non interruptâ Serie purgandi, hauſiſſe. *Schrophula* interim, quam ex *Traduce* acceperat, ſenſim evaneſcebat. Indies, pendente Curatione, melior Valetudo & firmior; nec etiamnum in Ægritudinem relapſa eſt, nec ſe eſſe relapſuram ſuſpicatur.

Dixi autem ex *Traduce* Morbum proveniſſe, quoniam Fratrem ejus, non ita multò poſt, Tumore Scrophuloſo, largo, ſuppurato, & ab Aure ad Claviculam uſque pertingente, laborantem viderim.

Atque hæc, ut arbitror, ſatis arguunt non iſtis Periculis, quæ nonnullis fortaſſe videntur, Remedium iſthoc patere: Addam etiam, quòd & deobſtruit, & Putredinem reprimit, & ab *Apoſtematum* Metu defendit, & Stomachi Viſcerumque

que Tonum corroborat; ſimulque & Vaſorum Lacteorum Ora proluit, & Glandulas Meſentericas expurgat. Quo fit, ut dulcis ſalubriſque Chyli Copia ſatis larga Sanguini tranſmittatur; Habituumque hecticorum & Calor & Siccitas temperetur.

Et, ut dicam Tibi quod ſentio: Non quidem inter illa omnia Medicamenta, quotquot Locum in *Materiâ Medicâ* habeant, (& ſunt ea ferè innumerabilia) aliud quoddam invenies, quod & continuari poteſt ita commodè; quodque internas Obſtructiones tam tutè reſerat, quàm *Aqua Marina:* ſcilicet, ſi nec temerè adhibeatur; nec Glandularum Vaſcula diſrupta ſint; nec *perfecti* morbidas Partes *Scirrhi* occupaverint.

Etenim ſicut externos Glandularum Tumores reſolvere ſolet, ita pari Ratione, & paribus Modis ubique ſuo Munere fungens, internos quoque Tumores ſolvit. Nam internè adhibita, Materiam morbificam per Inteſtinas Glandulas potiſſimùm elicit educitque; quæ & Vim ejus Stimulumque propiùs ſentiunt, & facillimè Morbum per Exitus ſuos tranſmittunt. Atque ita, pendente Curationis Opere, totum quodammodo Glandularum Syſtema exoneratur, ſublevatur, & purgatur; perinde ut Ope Glandularum Salivarium, Fauciumque, in Salivatione à *Mercurio*, contingere pernotum eſt.

Sed

Sed concedamus, fieri poſſe ut *Sal communis* majori Copiâ, quàm commodum eſt, quibuſdam ſumi queat; (licet id raró quidem, ut arbitror, eveniat) tamen poſſe ullum exinde Argumentum contra *Aquæ Marinæ* Uſum proferri, non concedo. Quippe *Maris Aquæ* & multiplici Fontium mineralium Scaturigine, undique confluentium, temperantur, & *Bituminis*, & *Nitri Saliumque* diverſorum Opibus abundant; & *Plantarum* quoque *ſubmarinarum*, & *Piſcium*, aliarumque Rerum ferme innumerabilium, tanquam Spoliis & Exuviis ditantur. Ergo aliud quoddam, diverſumque ab illo *Sale communi Maris Aqua* putanda eſt, quod & abſimiles utriuſque Effectus facilè docent. Nec ulla quidem mali Ominis Siggna, ſi cum *debitâ prudentiâ* adhibeatur, Experientiâ teſte, Uſum ejus ſubſequuntur.

Cæterùm quòd & Partium omnium Tonum confirmet, & humanum Corpus undequaque robuſtum, Vigoriſque plenum faciat, vel illi, puto, haud obſcuro Indicio ſunt, qui in *Venerem* præcipuè ardent, & ab Uſu Ciborum *Sale* conditorum, ut de Nautis plerumque dici ſolet, ad eam quaſi ſtimulantur. Nec quidem Vero abſimile videtur, Veteres, cum id facere *Salem* optimè ſciverint, ſuam Deliciarum & Amorum *Deam*, *Venerem* è Mari natam finxiſſe.

Eſt autem *Sal* Naturæ quoddam quaſi Inſtrumentum, quo quidem ad Plantarum omnigenarum, atque Animalium Procreationem, utitur. Quin oportet etiam ut is certâ quâdam Ratione Sanguini noſtro inſit: & ab illo quidem pendet quodammodo noſtra Valetudo. Nam ſi Renes, vel aliæ quævis Glandulæ minus ſtimulentur quàm ut & Secretiones Saluti neceſſarias perficiant, & ut Solidorum Vis Elaſtica integra ſervetur; tum, imminutâ *Lymphæ* debitâ Secretione, *Hydrops* ſubſequitur.

Quin & ubi *Sal* iſte deficit, nec ad confirmandos Vaſorum Tubulos ſufficit, ſubinde relaxantur Vaſcula, Tonumque ſuum quaſi remittunt, & fluida quoque, Secretionis Munere parum peracto, tranſire ſinunt: quod in *Diabeticis* fieri cernimus; quorum ſimul atque Urina ſine *Sale* iſto, quo ſanorum omnium Urina ſatis abundat, profluere incipit, & *Mellis Dulcedinem* æmulatur; tum ſtatim Renum Tonus, debito & neceſſario Stimulo Salino privatus, magis magiſque relaxatur, & Vaſcula in tantum debilitari ſolent, ut Urinam uberrimo profluvio, immo vix interrupto, profundant; donec nonnunquam Urina tandem vel Chylo commixta fluat. Nec deſunt, qui Vinum quoque rubrum affirment per Renes, Colore neutiquam mutato, tranſiviſſe. Hic verò Renum Status morbidus, non unquam urgere deſinit, niſi

poſt

poſt recuperatum Urinæ Statum, quæ Sale illo ſatis denuò abundat.

Quid? quod nulla in *Diabeticis* Ulcerum Digeſtio diutiùs continuari poſſit, quàm eorum Urina ſalſa exeat. Porro, memini me ſæpius vidiſſe *Fontanellas*, contra *Paralyſes Scorbuticas* ſupra *Scapulas* factas, quæ plurium Annorum Spatio continuatæ Periculum nullum intendebant: Sed cum Æger *Diabete* tandem corriperetur, tum indies *Fontanellæ* latiùs prorepſerunt, quamdiu Urina dulcis excreta fuit. Et licet Spiritus iſte *Salis Ammoniaci* meliùs ſerpenti Malo reſiſteret, quàm ullum aliud Remedium, & Fibrarum Colorem vividiorem redderet; tamen id mihi ſemper videbatur, tanquam pedetentim Hoſti Locum cedere. Nam ſi nec *Cortice Peruviano*, nec aliis quibuſvis Auxiliis *Diabetis* Vis fracta eſſet, & Urinæ ſalſus rediiſſet Status, ſuboriri tandem *Sphacelus*, & Margines *Fontanellarum* tentare conſuevit, & Æger Morbo ferè ceſſit; Idque, licet Chirurgus eo Tempore nihil, quod Arte maximè exercitatâ fieri poſſit, intentatum omiſiſſet.

Hunc autem tibi Caſum recenſere malui, quia cum *Fontanellæ* ſupra *Scapulas* eſſent, nulla ſubeſt Cauſa cur illud Infortunium inde quod Membra dependerent, potiùs quàm ex ipſo Morbo ortum fuiſſe putemus. Quantum autem *Bilis* potiùs *Sales*, quàm alii quivis, *cutaneis Eruptionibus* produ-

 cendis

cendis conferant, ab *Eryſipelate*, & non uno Scabiei Genere, & Defœdationibus quibuſdam Cutis furfuraceis apparet: ubi Liquor, quo implentur Puſtulæ, flavus eſt & Bile admodum tinctus. Atque hæ quidem Eruptiones, non Sanguinis Statu Salino permutando (opere ſanè diutino & permoleſto) ſed Bilis majorem copiam, adhibitis purgantibus, à Jecinore ſollicitando, curari ſolent. Quod vel à Commentariolo, quem *De Excretione Inteſtinali* Clar. *Freindus* ſcripſit, lucidè apparet.

Igitur *Salem* neceſſarium exiſtimare debemus, ad Partium omnium Tonum conſervandum; nè ſcilicet, dum perpetuò à Vi quâdam propellente urgentur, Vim ſuam Poteſtatemque remittant, & tanquam enerventur; & ſubinde à Debilitatione, atque Inertiâ ſuâ, ut ita dicam, Morbos ſubingredi patiantur.

Non autem hæc Tibi effudi, ut exiſtimes me in *Diabeticis Aquâ Marinâ* uti ſolitum eſſe. Nam in iſto quidem Morbo nunquam quid poſſit expertus ſum. Scripſi ſolummodo, ut ſentias, quantum, me Judice, Sanitati Corporis conducat debita *Salis* Portio.

Et profectò *Salem* Valetudini neceſſarium eſſe, vel illud, quod à *Medicis* obſervari ſolet, luculenter demonſtrat: nimirum, quòd Homines, qui *Salem* vel parciſſimè, vel nullum omnino cum Cibo ſumunt; vel qui ab illo *interno Sale* parum adju-

adjuvantur, ſive quòd Urinæ Profluvio, ſive Excrementorum aliorum Copiâ iſte foras prolatus ſit, plerumque quidem tetrum putremque Odorem exhalant. Adde etiam, quòd iſtis Hominibus Cibus plerumque diutiùs in Stomacho atque Inteſtinis immorari, & poſt extractum Chylum inutile quoddam Onus manere, Fibraſque opprimere putetur.

At quantum etiam Animalibus iis, quæ *Sale Marino* inter paſcendum cum Herbis ſimul veſcuntur, ejus Uſus proſit, facile erit inſpicienti colligere. *Salis* enim uberrima Copia, eo modo ſumti, integras Oves, & à Morbo, quem Paſtores *Putredinem* appellant, immunes ſervare ſolet; quem Morbum Paſcua irrigua & Succi plena, ſed nullo *Sale* condita, inducunt. Et ejus quidem Rei Exempla apud nos notiſſima ſunt, & maximè vulgaria. Nam ſi Oves maximè ſanas & robuſtas, in Paſcua humida, quæ fluviorum inundantium Aquis, & *Vernis* & *Autumnalibus* Vaporibus obnoxia ſunt, agas; hæc plerumque Symptomata ſubſequuntur. Primo ſtatim ſub Ingreſſu Ovis mirè fit pinguis & vegeta; ſed paulò poſt languidior; & Oculorum Acies hebetior, minúſque vivida. Mox innumera quædam in *Ductu Biliario* Animalcula naſcuntur; tum *Jecur* morbidum, Tuberculis & Veſiculis innumeris aquoſis refertum; tum Maculæ lividæ & Scorbuticæ per Cutim

tim ſuboriuntur; tum Lana facilè evellitur, vel decidit potiùs. Cum hoc ſe modo Res habeat, *Putredinem ſiccam* appellant. Ruptis verò Veſiculis iſtis aquoſis, & immiſſo in *Abdomen* earum Humore, mutato Nomine, *humidam Putredinem* vocant. Sin autem ad paſcendum Oves in illa Loca compellas, quæ ſingulis *Maris* Æſtubus proluuntur, & *ſalſa* ſunt; tum *Putredinem*, cæteraque illa ita per *Marinum Salem* repreſſa eſſe invenies, ut nulla quidem in his Ovibus Animalcula ſint: immo ſanæ potiùs, integræque longo Tempore maneant.

Addam etiam, quòd cum Equos Eruptiones Scorbuticæ malè habent, atque ii quidem Homines, qui ſe Jumentis *mederi* profitentur, Arte ſuâ nihil ampliùs efficere poſſunt, tum Equos ſæpè in his rerum Aſperitatibus ad hæc Loca, quæ Noſtri *Salſa* vocant, amandant, quorum Ope Morbus plerumque ſuperatur.

Atque hæc quidem, Doctiſſime VIR, ea ferè ſunt, quæ de *Ratione noſtrâ*, *Saliſ*que Uſu præcipuè, præter ea quæ alibi dicuntur, Tibi impertienda putabam. Quæ ſi Judicio tuo, quod eſt acerrimum, nequaquam deſpliceant, perjucundum ſanè mihi futurum erit; nec difficilem ſcribendi Provinciam ſuſcepiſſe me pigebit. Vale.

AMICISSIMO VIRO
RICARDO RUSSELL M. D.
GUILIELMUS LEWIS
S. D.

FIDEM jam tandem libero, VIR Chariſſime, & Epiſtolam hanc noſtram Tibi in Manus trado. Vereor autem nè tuam de illâ jam pridem conceptam Spem ſit parùm expletura; quippe quæ ſecum affert nihil multùm diuque meditatum, nihil feliciter excogitatum, nihil denique acri Judicio perpenſum: Hiſtoriam tantùm in Re Medicâ unam vel alteram ſimpliciter & inornatè, fideliter tamen exaratam Oculis tuis ſubjicit. Utcunque tamen Sors illius excidat, abundè mihi ſuppetet Gaudii, ſi Tibi Morem geram, & quàm facilem me ſemper tuis Mandatis daturus ſum, hoc Officio comprobem.

Hiſtoria Prima.

Vir triginta Annos natus, Temperamento phlegmatico, laxo & ſpongioſo Corporis Habitu, poſt largas eaſque crebras, quibus nimis diu aſſuetus fuerat Potationes, incidit in ſubitum & vehementem circa *Scrobiculum Cordis* Dolorem, qui per totum

totum Dorſi Tractum uſque ad Scapulas protenſus nec reſpirare illum, nedum ambulare, vel erectum ſtare permittebat. Os interim fœdo Amaroris Senſu ſuffundebatur cum Nauſeâ & continuâ Bilis Rejectione. Pharmacopola illico accerſitus, Sanguinem è Brachio lagiter detrahi, atque Alvum bis vel ter leni quodam Medicamento duci juſſit. Mirè hinc miteſcebant Dolores *Cardialgici*, atque Æger pro Tempore ſaltem, ſalvum ſeſe evaſiſſe exiſtimabat. Breves tamen erant Induciæ, & fallaces Spes: recrudeſcebant enim mox Symptomata, & aperta jam magis *Ictericæ Paſſionis* Signa: Flavedo enim in totâ Cute, maximè in Oculorum Albo & circum Tempora, erat conſpicua; ingens aderat Corporis atque Animi Segnities; inſignis Virium Proſtratio; ſpirandi quædam Difficultas; Fœces paucæ, albidæ, ſubviſcoſæ; Urina adeo rubra & craſſa, ut propè ad Nigredinem accederet; urgebat quinetiam, Loco Doloris prædicti, moleſtus aliquis in dextro *Hypochondrio*, ſub *Coſtis Spuriis* Gravitatis Senſus, ſine Duritie tamen vel Tumore quodam conſpicuo. Ego ſtatim in Auxilium accitus, ſedulo exploravi, quàm potui, omnia; & quia nulla aderant vel Febris vel leviſſima quædam Inflammationis Indicia, vix alias adeſſe curandi Intentiones cenſebam, quàm ut Ductuum Biliariorum Obſtructiones, qui viſcidâ jam & cretaceâ Materie vide-

videbantur obſeſſi, penitus diſſolverentur, atque eâ Ratione liberior Bilis ad duodenum Curſus aperiretur. Injecto igitur quamprimùm *Enemate*, circa mediam Noctem *Bolum* deglutiendum dedi cum *Calomelanos* Granis quindecem præparatum; & poſt ſex Horas Potionem Catharticam ex *Infuſione Senæ* adjectis *Mannâ* & *Sale Glauberi*. Quæ ambo, Dierum trium vel quatuor Intervallo, prout Ægri Vires ferebant, ad tres Vices repetebantur. Concitatæ erant præterea Vomitiones; & ne quis Curatione vacuus intercederet Dies, bis quotidie, quando à Catharſi abſtinebatur, è Pilulis ſequentibus quinque vel ſex ut ſumeret, conſului, ſuperbibendo *Miſt. Salinæ Coch. iv.*

℞ *Sapon. Caſtilienſ. ℨiij Millep. ppt. ℨj Syrup. Croci q. ſ. M. f. Pil. mediocres.*

℞ *Sal. Abſinth. ℈iv --- diuret. ℨj Succ. Limon. recenter expreſſ. ℥ij peractâ Fermentatione add. Aq. Alexiter. Simpl. ℥iv -- N. Moſchat. Syrup. Croci aa ℥j M.*

Remediis hiſce ritè & ſtrenuè adhibitis cedere aliquantulum videbatur Morbus, inhærebat tamen, etiam pertinaciſſimè. Cutis enim, quanquam ad Colorem ſuum naturalem jam propiùs accedens, Flavedine adhuc tingebatur: fixus ad-

huc permanebat Dolor; ſed quod majoris erat Momenti, elangueſcere cœpit Ciborum Appetitus, & Vires penitus intercidere. Omnibus his ſeriò penſitatis, ſtatui mecum experiri, quid *Aqua* valeret *Marina*, quæ cum ad Alvum efficaciter ſolvendam, & Ductus Biliarios detergendos Stimulo ſatis acri pollet, tum neque Stomachum Ægroti neque Vires lædit, quin potiùs augeat atque excitet. *Aqua Marina* enim, vel quæ eodem redit, *Salſa*, apud *Aſclepiadem* olim, ut refert *Celſus*, Libri 3^tii^. Capite 24to. in *Regio* dicto *Morbo* frequenter erat in Uſu; & tuo potiſſimum Hortatu, VIR Ornatiſſime, ad Glandularum Obſtructiones reſerandas iterum jam optimo cum Succeſſu datur. Juſſi igitur, ut Æger ſingulis Diebus, quamprimùm fuerat experrectus, ejuſdem *Aquæ* Selibram tepidè hauriret; quin ut Stimulo huic Salino ponderoſi aliquid & Saponacei Medicaminis adjungerem, Electarium ſequens Horâ 4ta. poſt Meridiem & Horâ Decubitûs quotidie ſumendum præſcripſi.

℞ *Conſerv. Flaved. Aurant.* ℥j *Cinnab. Antim. ppt. Sapon. Caſtilienſ. aa* ℥ß *Millep. ppt.* ʒiij *Croci Pulv.* ʒß *Syrup. è Cort. Aurant. q. ſ. M. f. Elect.*

Cura-

Curatione hâc per quatuor vel quinque Dies vix adhibitâ, in melius ſtatim mutata ſunt omnia: fœdus & auriginoſus univerſi Habitûs Color jam ſenſim cœpit evaneſcere; rediit Cibi Appetitus; redierunt Vires; moleſtiſſimus ille Gravitatis Senſus, qui in dextrâ Præcordiorum Parte continuò ferè aderat, poſt ingentem Viſcidæ & Bilioſæ Materiei per Alvum egeſtam Copiam, omnino abiit; & ut breviter dicam, elapſis tribus Septimanis, plenæ atque integræ Sanitati Æger erat feliciter reſtitutus.

Hiſtoria Secunda.

Pulchra & amabilis Virgo, Annum decimum nonum vix ingreſſa, integrâ huc uſque & illibatâ fruens Valetudine, fortuito quodam in Terram Lapſu, ſiniſtram Tibiam illiſit Saxo, ita tamen ut Cuticulam ſummam ſolùm abraderet. Leve quidem ut videbatur Infortunium, & in mille aliis fortaſſe, Specie minùs venuſtâ at ſalubriori Humorum Temperamento gaudentibus, foret certè leviſſimum: pulcherrimam autem hujuſce Puellæ Formam alebat Sanguis Scorbuticâ ſaltem ſi non Strumoſâ Labe inquinatus, quæ parvulam hanc nacta Cauſam, tanquam ab Igniculo quodam in graviſſimum mox erupit Malorum Incendium. Neglectui primùm erat, & pro Nihilo

hilo habitum hoc Vulnuſculum; donec inflammari circum & tendi videbatur Cutis. Adhibita igitur erat ſtatim Venæſectio, quæ & ad tertiam uſque Vicem repetebatur: data erant præterea Purgantia *Antiphlogiſtica*; Emulſiones cum *Nitro* præparatæ; cæteraque ejuſmodi quæ Sanguinis Orgaſmum quocunque modo poſſent delinire: quin & ſub peritiſſimi Chirurgi Inſpectu admovebantur Topica Remedia emolliendi & diſcutiendi Virtute prædita. At fruſtrà hæc omnia: ſerpebat indies Malum, & in manifeſtam jam Suppurationem tendebat Inflammatio. Quocirca ne ſubjectum Os Damnum aliquod acciperet, quamprimùm Pus moveri cœperat, Ope *Cauſtici* aperiebatur Abſceſſus. In Vulnere etiam curando omnia ſummâ Diligentiâ ſunt facta. At quamvis à primo Mali Ingreſſu ſexta jam adeſſet Septimana, nulla hactenus apparuerant Cicatricis Veſtigia; Vulnus erat ſordidum; Caro ſuperincumbens mollis, fungoſa; Labia inverſa; & Loco Puris albi, lævis & æqualis, emanabat continuò tenuis, fætidus & ſanguinolentus Ichor. Neque Diu latebat teterrima horum Malorum Cauſa: ſub diligentiori enim Ope Specilli factâ Ulceris Exploratione, occurrebat Tibiæ Os Membranâ ſuâ inveſtiente denudatum: ipſum etiam inæquale, aſperum, carioſum. Ergo ſtatim Vulnus dilatare, locum affectum ad Os uſque incidere,

mun-

mundare, omniaque ſedulò agere neceſſe erat, ut promoveretur Exfoliatio. Haud negligebantur interea optima quæque interna Medicamenta, quæ vel Humores viſcidos, acres temperarent, & fluxiles redderent; vel quæ leniter eos per Alvum educerent: perexiguæ ſcilicet debitiſque Intervallis repetitæ *Calomelanos* Doſes; Boli ex *Antimonio Crudo*, *Æthiope Minerali*, cæteriſque id genus Medicamentis confecti; *Decocta Diætetica* cum *Aquâ Calcis* præparata, varia ac diverſa prout Ægrotæ Res poſtulare videbantur. Nonnunquam etiam Revulſionis gratiâ adhibebantur *Emetica* quædam leniora; quin ob Febris Hecticæ Metum, in Subſidium vocabatur Lac Aſininum cum *Pulveribus Teſtaceis* bis die ſumendum. Tædio equidem Me Tibi fore exiſtimarem, ſi ſingula recenſerem quæ in dulciſſimæ hujus Puellæ Opem vocata erant auxilia.

Illa interim infelix jacebat Domi, Dies Noctesque inſomnes agens: cuncta heu! procul aberant jam Vitæ Solatia; nulla vel Nympharum Chori vel Juvenum admirantium Cœtus diutius jam afferebant Gaudia; ſecum ſola miſerrimam ſuam Sortem lugebat. At quamvis Macie & Pallore eſſet obſita, quamvis Dolore & Vigiliis penè confecta, permanebat tamen amabilis illius Formæ Elegantia, Morbi Vi atque Injuriis adhuc invicta.

Octo

Octo jam ferè elapſi fuerant Menſes, ex quo ipſâ heu! invitâ Medicinâ truculentiſſimo hoc Morbo ægrota laboraverat. Nulla adhuc Salutis renaſcentis Spes; nulla adhuc Oſſis Deſquamationis Signa. Inter Conſilia Medica injectæ ſunt ſæpe Quæſtiones. An *Cortex Peruvianus* aliquid hîc poſſet efficere? an levis etiam *Ptyaliſmus* Humores ad εὐκρασίαν diſponeret? Sed ut hoc, fractæ jam Ægræ Vires & prona in Diarrhæam Alvus penitus reſpuebant; ita ab illo, Virium Incrementum fore & Febris Hecticæ Levationem quandam in Spe erat fortaſſe, deſideratiſſima verò illa Oſſis Separatio expectari certè vix potuit.

Reſtabat adhuc, idque unicum heu! jam reſtabat, intentatum Auxilium, *Aqua Marina:* cujus Vires in *Scorbuticis*, maximè verò in *Scrophuloſis Ulceribus* curandis ſæpius experti ſunt Chirurgi noſtri peritiſſimi. Ad Oppidum igitur in Inſulâ *Vectis Newport* dictum, à quo haud procul aberat, devecta eſt Virgo infelix. Ibi ſtatim, rejectis cæteris omnibus Remediis præter *Lac Aſininum*, *Aqua* pro more bibitur; quæ primò Nauſeam & Sitim, uti plerumque ſolet, movebat; ſed elapſis tribus vel quatuor Diebus, citò hæc evaneſcebant Mala. Alvus ter ad minimum quotidie erat ſoluta, neque repetitâ hâc Purgatione vel Vires diminutas, vel Ciborum Appetitum remiſſiorem ſentiebat: quin utrumque potiùs

acui

acui atque excitari apertè jam indies animadverteret. Alacris hinc facta, & Spe recuperandæ Salutis audacior, in Mari ſe demerſit, primò bis tantùm in Septimanâ, deinde ter, mox etiam quotidie. A ſingulis his in *Aquâ Marinâ* Lavationibus Domum ſemper rediit Corpore robuſtior, Animo alacrior. Sed ne Te ſingulatim omnia recenſendo, diutius morarer, poſt quatuor Septimanas potando lavandoque ſtrenuè impenſas, Ulceris Facies in melius mutabatur; quod priùs tenue, ſanioſum, fætidum, ingenti ſemper Copiâ effluebat; nunc ſub albi, craſſi, inodori Puris formâ parciùs emanabat. Labia apparebant mollia æqualia, depreſſa; & tandem cum bonis Avibus, Tibiæ Pars corrupta quæ per plures Dies ad Specilli Tactum tremere & vacillare cœperat, à ſanâ atque integrâ Oſſis Parte penitus ſejungebatur. Ab illo Tempore læta & fauſta omnia; Ulceris Cavum, coeunte Margine albo ſubcæruleſcente, magis magiſque indies videbatur decreſcere, ſiccari, & tandem poſt tres alias Hebdomadas firmâ Cicatrice obducebatur.

Puella interim Salutis ſuæ redeuntis conſcia, in publicum quotidie prodire, Colloquiis immiſceri, priſtinæ etiam Vitæ frui cœpit Dulcedine. Et quamvis per totum ferè Annum gravi Morbo implicita, languida, deplorata, tantùm non emortua Lecto jacuiſſet affixa, reſtauratis jam Viribus,

ribus, recenti nituit Juventutis Flore, atque è *Mari*, ut ita dicam, *Veneris* inſtar, Gratiæ & Venuſtatis pleniſſima, emerſit.

Hæc habui, Vir Ornatiſſime, quæ Tecum in præſens communicarem; pluribus Te certè non morabor. Iniquum enim Me fore Humano Generi exiſtimarem, ſi pretioſiſſimum tuum Tempus quod Ægrorum Rebus feliciter adeo impendis, Nugatoriis hiſce Literis ulterius tererem; pergas igitur miſeris Mortalibus Salutem dare; pergas Artem Noſtram Ingenio Tuo excolere, Scriptis illuſtrare, Nominis Tui Celebritate ſuſtinere. Ignoſcas interim Arrogantiæ meæ, quòd coram Te tanto Rerum Medicarum Judice, auſus fuerim aliquid proferre.

Valeas, Vir egregie, & Me qui ſummo Studio, ſummâ Reverentiâ Te ſemper proſecuturus ſum, in Amicorum Numerum recipere ne dedigneris.

Dabam ex *Æde Chriſti Oxon.*
Calendis Mart. MDCCXLIX.

ORNATISSIMO VIRO

GUILIELMO LEWIS M. D.

RICARDUS RUSSELL

S. D.

CASUM de *Carie Cruris ſcrophuloſâ*, VIR Ornatiſſimè, quem cæteris Ægrotantium Hiſtoriis ſubjicere in Animo fuit, omiſſum neſcio quo Fato, lubenter tandem ad Te mitto. Hunc etiam Tibi in Manus dare lubuit, ut quid potuerit hæc Methodus in *Febre Hecticâ*, ex Glandulis morboſis ortâ, cum per Excreationem ejecta ſit Materia purulenta, certior fias. Videtur quidem Exfoliatio adjuvari per Derivationem Humorum à Parte affectâ: ita enim Oſſa minùs Colluvie ſeroſâ irrigantur; & certè quò ſicciora fiunt, eò faciliùs deſquamantur.

Juvenem duodecim circiter Annos natum, de cujus Fratre in Hiſtoriâ triceſimâ primâ Mentio facta eſt, in extremum Vitæ Diſcrimen adduxerat *Febris Hectica*, Sudores nocturni Tuſſiſque cum ſpirandi Difficultate inter ambulandum. Aderat etiam Sputatio fœda, & purulenta; Glandulæ in Collo morbidæ, & duræ; & Apoſtemata in utroque Crure, cum Carie utriuſque Fibulæ

 juxta

juxta Talum. Erat quidem hic Juvenis, cum *Marinam Aquam* primò ſumſit, miris Modis emaciatus; ſed cum per Septimanas ſex eâ uſus fuerat, *Febris Hectica* remiſit; Tuſſis Sudoreſque nocturni evanuerunt; & nulli renaſcebantur Tumores. Inter bibendum autem *Aquam Marinam*, Crurum Oſſa deſquamabantur, Glandularumque Tumores penitus diſcutiebantur. Intra Menſes ſex convaluit: nec ab eo Tempore Signum ullum renaſcentis Morbi apparuit.

Etiamne hanc mihi Veniam dabis, ſi de univerſâ Glandularum morbidarum Ratione id, quod ſentio, dicam? Immo facilè daturum Te eſſe ſat ſcio, atque utor Poteſtate, quam tua mihi concedit Humanitas.

Parentes, ut mihi videtur, ſæpiſſimè Prolem Corporis Temperie ſibi ſimilem procreant. Qui laxo corporis Habitu ſunt, Sobolem pari Solidorum Tono præditam generant; debili atque infirmo ſcilicet. Quò fit, ut Glandulæ Fluxionibus iiſdem, quas in Parentibus fuiſſe poſuimus, omnino opportunæ ſint. Atque ita porro *Scrophulæ* Morbum non tam à Contagio quodam, aut à Patre acceptâ Labe, Ortum habere puto, quàm ab infirmo parumque apto Syſtematis univerſi Glandularis Tono. Atque Hoc quidem mihi ſic videtur; ſed cum omnino τῇ θεωρίᾳ conſtet, ſi quibus aliter fortaſſe viſum fuerit, non tanti mea

facio,

ſacio, ut de iis acriter contendam. Hoc tamen extra omnem Controverſiam poſitum eſt; nimirum, eſſe *Glandulas*, propter Texturam laxam debilemque, præ omnibus aliis partibus, iteratis Morbi Tentationibus idoneas; nè dicam, quòd ex illis haud paucæ aliquando prorſus inſanabiles videri poſſint. Porro, cum quicquid in Corpore redundaverat, hâc vel illâ Viâ, Secretionis alicujus Ope, diu, & quaſi facto ſibi Jure, foràs ejectum fuerit; tum planè aliarum Glandularum Secretiones diminuantur neceſſe eſt, & Periculum aliquod iis Partibus minitentur. Unde in Lepris quibuſdam tam aridis quàm humidis, quas neque *Aquâ Marinâ*, nec aliis quibuſvis Medicamentis ſanare potuiſſem, Ægrotantes plerumque, dum per Cutim Morbus ejicitur, parciori Urinæ Fluxu (inſtar *Cachecticorum* ad *Hydropem* inclinantium) atque Evacuationibus cæteris omnibus minùs liberè uſos eſſe obſervavi. Quin & in his, graviſſimis profectò, Cutis Affectionibus, aliquando Curationis Spes nulla prorſus eluceſcit, quam ſtabilem & firmam eſſe, jure expectare debeas. Per quas enim Vias Evacuatio tam diu proceſſit, ut Partis Tonus fractus vel admodum debilitatus ſit, per eaſdem Plenitudine ſubortâ de novo prorumpit & (ſicut in *Gonorrhæis*, ubi Glandulæ ab aliis quibuſvis Cauſis immutantur) emanat Morbus. Verùm ſi *Leprarum* Hiſtoriam Ra-

 tionemque

tionemque vel ſtrictim delibemus, facilè, opinor, apparebit, non tanto Negotio deſtinatas fuiſſe *Glandulas Cutaneas*, quanto ad hoſce Morbos amoliendos Opus ſit. Planè mihi videntur tanquam Subſidia quædam conformata, quæ, pro Re natâ, quandocunque Secretiones aliæ Caſu aliquo impediantur, Auxilia ſua ſubminiſtrare, illoque peracto Munere, ad Formam naturalem reverti, (propriâ ſuâ Vi, *Elaſticâ* ſcilicet) atque in integrum reſtitui debeant. Quæcunque enim Corporis Pars diu diſtenſa magis fuerit quàm Naturæ Ratio ſinat, planè morbida eſt; & Obſtructionibus, & Tumoribus, cæteriſque ejuſmodi Malis patet. Quòd calidiores autem Plagæ hiſce Incommodis magis quàm frigidæ infeſtantur, non eſt, ut opinor, cur magnopere dubitemus, ſi Scriptoribus Fides habenda ſit, qui *Lepram Septentrionalium* non tam virulentam, neque iis Miſeriarum Varietatibus, quibus *Græcorum* illam ſive *Lepram*, ſive *Elephantiaſin* ſtipatam depingunt. Quæ quidem licet *Europæis* inaudita prorſus, tamen ubi fluida Sole magis attenuantur, & Evacuatio per Cutim uberior fit, ut apud *Ægyptios*, & vulgatior eſt, &c, obſtructis tandem Vaſculis Cutis, ad majorem ἀκμὴν aſſurgit. Atque ille quidem Morbus in hiſce Locis tantùm ſævit, ſi *Proſperum Alpinum* audiamus, qui in *Ægyptiorum* Urbe celebri & copioſâ, olim *Memphis*, nunc *Cairo*

Cairo dictâ, diu commoratus eſt, ut vel *Elephantiaſi Græcorum*, quæ eſt difficillima, Populi magna Pars laboret. Sed ipſius Auctoris Librum conſulas *De Medicinâ Ægyptiorum* p. 25. *Vagatur*, inquit, *altera Elephantiaſis, ut nuper etiam dictum eſt; quâ correpti, Pedes multis, magnis, duris Tumoribus tumidos, magnos atque deformes habent, Pedibus Elephantium maximè ſimiles, Cruribus tumefactis etiam conjunctos; quibus tamen Æger nihil Doloris ſentit, ſed ad ambulandum ineptus redditur. Multos vidi ipſorum, qui ipſi Pedibus, Calceorum Loco, ligneis Capſulis indutis incedebant, Paſſu lentiſſimo ac difficillimo. Hoc Morbo multi Cayri cernuntur.* Ecquid apud nos Uſu venit, quod his ſimile ſit, aut conſentaneum? Nihil certè vulgatum ac populare. Ibidemque, *Lepra*, inquit, *atque Græcorum Elephantiaſis, in multis Pauperibus ſemper cernitur.* Ego verò nihil reperio, cur *Alpinum* erráſſe, aut Judicium hoc de Morbo perperam tuliſſe credam; ſiquidem & Morbum quotidie Oculis ſubjectum habuiſſe, & ab *Aretæo* elegantiſſimè, & ab aliis Auctoribus deſcriptum perlegiſſe eum neceſſe ſit, utpote qui non modò Medendi Scientiâ, verùm etiam humanioribus Literis haud mediocriter fuerit imbutus.

His ego quidem adductus Argumentis non tam Medicamentis Vitio dandum eſſe arbitror,

ſiquando

ſiquando his in Morbis Succeſſu careamus, quàm Texturæ Solidorum, quam Diuturnitas Morbi non debilitavit modò, verùm etiam perdidit. Quamobrem, niſi in recentibus Fluxionibus, Spem ſanandi certam atque indubitatam omnino, nunquam habeo; licet hæc Medendi Ratio, in illis etiam inveteratis Caſibus, non rarò reſpondeat. Sed hoc tamen nullo Modo ſuſcipi aliquando oportere peritus Medicus judicabit.

Scrophulam Americanam, in Puero quodam, modò mihi primùm commiſſam habeo. In univerſo Pueri Capite Species quædam Fungorum fuſco-nigricantium apparet, Collumque duris & *ſcrophuloſis* Glandulis plurimùm ſcatet. Morbus apud ipſos *Americanos*, *Yacos* appellatur. Curam omnem medentium tam apud *Jamaicanos*, quàm apud Nos, illuſit hactenus. Sed quoniam Medicamenta, quibus tantillo Temporis Momento uſus eſt, profuiſſe ſanè ſatis video, Spes mihi aliqua medendi injecta eſt. Tu verò de Succeſſu Caſûs minimè vulgaris, immo novi prorſus, poſtmodum certior fies.

Decerpta quædam è *Scribonio Largo*, quæ ad Rationem noſtram ſpectant, Amicus meus *E. Wilmot*, ut ſolet omnia, humaniſſimè mecum non ita pridem communicavit. Ex quibus patet *Scribonium* adhibuiſſe *Aquam Marinam* ad diſcutiendas *Parotidas*, ante Suppurationem

rationem ſcilicet: *Oportet autem*, inquit, *Aquâ Marinâ ferventi, novis Spongiis demiſſis, & per Linteum intortum utriſque expreſſis, vaporare Parotidem, atque ita oblinere hoc Medicamento, ſuperque tegere Lanâ Sulphuratâ totam Maxillam.* Vid. *Scribon. Larg.* cap. 6. Tum, *Capite quadrageſimo primo*, ubi loquitur de utroque Genere *Podagræ*, tam calidæ quàm frigidæ, ſequentia Verba invenimus: *Ubi autem Impetus ceſſaverit, & in hoc, & in priore Genere Podagræ, calidâ Aquâ Marinâ diu fovendi ſunt; vel ſi hæc non erit, Aquæ puræ ferventi Salem adjicito: poſt Epithemate uti oportet, quod ad Parotidas ſcriptum eſt. Tollit enim citò reliquias per Sudores, & in futurum confirmat Nervos, nec patitur facilè vitiari.* Certè quidem *Aqua Marina* ad diſcutiendum plurimùm valet, eóque *Sulphurem Bitumenque*, quæ in illâ abundant, conferre haud exiguam Partem, perſuaſum habeo. *Bolducius* de *Aquis* ſcribens *Borbonenſibus*, eas *Sulphurem ipſum Mineralem in ſe continere non putat; ſed Bitumen potiùs, quod Sal Marinus, qui in Aquis iſtis extra omnem Controverſiam apparet, ſecum adduxerit, (Sal enim Marinus ſemper plus minuſve Bituminis in ſe habet) & quod Alkalia, quæ in Aquis hiſce abundant, in Statu diſſoluto tenuerint.* In eodem etiam Loco de Ratione, quâ ſeparari debeant, ſcribit: *Separatio horum Alkalium à Bitumine facilè*

cilè ſit Ope Spiritûs Vini, infuſi in Aquæ imam portionem, in quâ plus harum duarum Materiarum ineſt: Alkalia Fundum petunt, Bitumenque expeditum, Guttulis ſurſum aſcendit ad Aquæ Superficiem -- aut Lateribus Vaſis adhæret. Vid. *Hiſtoire de l'Academie royale des ſciences.* Ann. 1729. p. 33, 34.

Hæc non modò confirmant, quòd & in *Aquâ Marinâ Bituminis* ſatis larga Portio contineatur, ſed vel illud, quod ab Ope ejus expectare oporteret, aliquo Modo nobis commonſtrat. Sed de his plus ſatis.

Tibi verò, VIR Ornatiſſime, non fateri non poſſum, harum Rerum Perveſtigationem perjucundam fuiſſe, tum quòd mihi cum ſummis Viris Conſuetudinem fecerit; tum quòd Seni jam quaſi Stimulos quoſdam ſubjecerit, meque in vetus tanquam Curriculum reduxerit; ut quæ jam diu, quippe Praxi omnino deditus, neglexeram ferme, Veterum Scripta ſedulò repeterem.

Quin Tu, Viris Humaniſſimis, mihique plurimùm diligendis, *Joſepho Jane*, & *Guilielmo Holwell*, quos Te abſente Prælo dirigendo Operam dediſſe audio, Gratias meo Nomine, quæſo, referas.

Accepi duos Caſus tuos, quos, ut ſoles, omnino eleganter; & id Te in Diem non diſtuliſſe, habeo Gratiam; & remuneràſſem ſanè, quo Modo

do

do potuiſſem, Hiſtoriâ Tibiæ Carioſæ per *Aquam Marinam* ſanatæ, ſi non tardiùs in Manus meas perveniſſet, quàm ut huic Operis Editioni ſubjici poſſet. Macte eſto Virtute, VIR Amiciſſime, & Medendi Artem, quam ſuſcepiſti, perge excolere, & ad ſummum Faſtigium evehere; [a] *habeaſque ante Oculos Mortalitatem, à quâ Te aſſerere hoc uno Monumento potes.* Ut vivas valeaſque, & Amantiſſimum Tui nè amare deſinas, etiam atque etiam rogo. Vale.

a *Plin. Epiſt.* lib. II. 10.

Ornatissimo Viro
M. Lee M. D.
S.

LITERAS quaſdam, Ornatiſſime Vir, de Uſu *Aquæ Marinæ* apud veteres Medicos non ita pridem ad Te dabam: & oranda mihi Venia eſt, quòd Otium tuum, in quo cum Honore & Dignitate emeritus verſaris, Importunitate meâ nunc denuo interpellam. Sed eo Tempore non licuit mihi, vel ut Monumenta Veterum, unde unde decerpta, recolligerem, vel ut ea rectè diſponerem: ita me totum communis utriuſque Noſtrûm Cura, & Profeſſio poſſidebat. Peto igitur ut ad eam Rem inſpiciendam iterum Te æquo animo convertas.

Inanis erit, ut arbitror, fruſtraque inſumtus Labor, ſi hanc Medicinæ Partem altiùs quàm ab Ævo *Hippocratis* repetere ſtudeamus: Quippe quia Rerum Medicarum Diſciplinæ per illud Tempus, quod inter Bellum *Trojanum* & *Peloponneſiacum* fuit, minùs cultæ jacuerunt; atque etiam, ſi [a] *Plinium* audias, *denſiſſimâ Nocte latuere.* Sed Illum tandem Profeſſionis Medicæ Patremque, & Principem facilè *Hippocratem*, in [b] *Epidemico-*

a *Plin.* Nat. Hiſt. lib. XXIX. cap. I. b *Hippocrat.* Epidem. 7. 33.

rum Libro, *Aquam Marinam Alcmani* ſuo per Clyſterem injeciſſe legimus. Quod quidem perſpicuè ſatis arguit, eam Medicinam ipſi *Hippocrati* innotuiſſe. Quin & in iſto de *Aere*, *Aquis*, *& Locis* Commentario, multa de quibuſdam Aquis, quas *ſalſas* appellat, locutus, eas neque Morbis, neque Naturis omnibus convenire affirmat: ſed eſſe tamen, inquit, & Morbos, & Naturas quoque nonnullas, quibus ejuſmodi *Aquæ* commodè ſumi poſſunt.

Deinde ab *Hippocratis* Ævo ad ſubactum à *Pompeio Magno*, *Ponti* Regem, *Mithridatem*, *Græcorum* Diſciplina Medica *Romæ* parum floruit. Sed ejus Famâ, ſub id Tempus, renatâ, cum *Archagatho* atque *Aſclepiade*, *Romam* remigravit, & exinde ab eorum Diſcipulis exculta, quaſi revixit languens Diſciplina. Tum quoque ſub iiſdem Magiſtris *Aquæ Marinæ* Uſus, ad Alvum ſubducendam, ſtatim increbuit; &, niſi temere judico, eâ Medicinâ tum maximè utebantur, quoties quiddam lenius *Helleboro* atque ejuſmodi fortibus Medicamentis, eſſe neceſſarium putabant. Etenim Auctore [a] *Celſo*, *Aſclepiades*, qui ſecundus poſt renatam Medicinam *Romæ* floruit, quamvis Specie quidem Purgationes omnes, tanquam inimicas Stomacho, reprehendere conſuevit; tamen

[a] *Celſ.* lib. 3. c. 24.

 eas

eas utiles eſſe revera confeſſus eſt. Quippe qui ſic eas vituperavit, ut in Praxi ſuâ tamen ſervaret, atque *Aquam quoque ſalſam per biduum Purgationis cauſâ* dare conſueſceret. Idem etiam ille *Celſus*, qui *Themiſonem* proximè ſecutus eſt, de Alvi Ductione ſcribens, duas fuiſſe innuit apud Veteres *Aquæ Salſæ* Species, quarum utraſque ad Alvum ſolvendam dabant. Alteram earum, *Aquam* puta *Marinam*, Natura facilè ſuggeſſit: Alteram, quæ adjecto *Sale* fieri conſueverit, illius Vice Medica ſubſtituit Ars. Docet quoque *acriorem* eſſe *Aquam Marinam*, & Medicamentum eò majori Copiâ Ventrem ſolvere, quò acrius ſit. Porro eam quoque Medicinam ab *Aſclepiade* non fuiſſe neglectam omnino, & quaſi expulſam, vel illud haud dubiè evincit; nempe quòd ejuſdem Formulam quandam mitiorem, Vinum puta *τεθαλασσωμένον*, excogitaverit. Idque profectò docet [a] *Cælius Aurelianus*, qui in Morbo, quem *Paſſionem Cardiacam* nominant, *Aſclepiadem* Vinum quoddam adjecto Sale dediſſe, Memoriæ tradit. Cæterùm dum hunc Medicinæ *Græcæ*, tanquam juveneſcentem apud *Romanos*, ſtatum deſcribimus, ſummæ foret, imò vix condonandæ Negligentiæ Nomen *Aretæi* præteriiſſe. Qui *Græcorum* Medicorum, niſi unum fortè excipias, om-

[a] *Cælius Aurelian.* lib. 2. cap. XXXIX.

nium

nium longè Scriptor optimus. Atque [a] ille quidem bis terve in Libris ſuis de *Aquâ Marinâ* ſcribit; eamque in altero Loco bibendam proponit; in altero, de magnâ ejus Virtute ad exſiccanda Ulcera, quædam Notatu digna Literis commiſit. Quin & eam eſſe *Aquæ Marinæ* Poteſtatem vel Experientia hodierna comprobavit. Etenim ejus ſanandi Vim in Ulceribus Scrophuloſis *Articulorum*, *Carpi*, *Metacarpi*, *Tarſi*, vel *Metatarſi*, tum noſtri Chirurgi compertum habent, tum allata quoque in noſtro Commentariolo Exempla abundè docent.

Sed ad ſubſequentem tandem Medicamenti hujus Statum tranſeamus. Igitur *Cornelius Celſus* qui, *Tiberio* Imperante, floruiſſe dicitur, *Themiſonem* illum, qui præter alios multos ab *Aſclepiadis* Scholâ prodibat, *Muriam* in Dyſenterio dediſſe teſtatur: quin & *Plinio* quoque Auctore; [b] *Illa ſive Muria, ſive Salſugo Dyſentericis utilis eſt, etiam ſi Nome Inteſtina corripit. Iſchiadicis, Cœliacis veteribus infunditur. Fotu quoque apud Mediterraneos Aquæ Marinæ Vicem penſat.*

Ex his facilè conſtat Medicamentum illud Salinum non modò in Dyſenterio fuiſſe uſurpatum; ſed & in illis quoque Caſibus, ubi quædam ſive

a *Aretæus* lib. 1. cap. 15. de diuturn. Morb. & lib. 1. cap. 8. de Curatione Morb. acut. & lib. 2. cap. 1. de Curat. Morb. acut. b *Plin.* lib. 31. c. 8.

Nomæ,

Nomæ, ſive Ulcera hinc inde prorepentia, Ægrum urgebant. Illæ verò *Plinii Nomæ*, in quamplurimis Locis reddunt, atque exprimunt *Dioſcoridis* ἑρπητας.

Liquet ergo ex præmiſſis *Aquam Marinam*, à debellato *Mithridate*, uſque ad *Tiberii Cæſaris* Ævum, Materiæ Medicæ Partem fuiſſe. Deinde autem ferme quo Tempore *Nero* & *Veſpaſianus* Rerum potiti ſunt, duo iſti Scriptores, qui de veterum Medicorum Penu plurima utrique expromſere, & in Opera ſua tranſtulere, *Plinius* & *Dioſcorides* extiterunt. Quibus profectò utriſque viſum eſt, plena atque integra ſuper eo Medicamine Capita conſcripta Poſteris reliquiſſe. Sed unam ſolummodo vel alteram fortaſſe *Plinii* ſuper eâ Re Animadverſionem ſubnecto, quia perquam multa ex illius Scriptoris Fonte deprompta, & in Commentariolo noſtro jam prolata reperies. Illud interim animadverſum eſſe volo, quod neſcio an priùs à me ſit commemoratum, eximiam illam *Salis* Vim in evacuandis Vaſis Lymphaticis, quum jam per Aquas aliquas Medicinales largiter ſumtas diſtenſa fuerint, Veterum ſubtilem Obſervationem haudquaquam effugiſſe. Teſtatur enim Idem ille [a] *Plinius ſe vidiſſe nonnullos jam turgidos bibendo, in tantum ut Annuli*

[a] *Plin.* Nat. Hiſt. lib. 31. cap. 6.

intege-

integerentur Cute, cum reddi non poſſet hauſta Multitudo Aquæ: Nec hoc ergo fieri convenit ſine crebro Salis Guſtu. Quæ quidem *Plinii* Verba ſatis indicant, *Salem* antiquitus fuiſſe datum ad ſtimulandas Inteſtinorum Glandulas, quò copioſiùs Secretiones ſuas perficerent, illamque, quæ poſt Aquas temere ſumtas ſubſequi conſueverit, Moleſtiam, vel ſupprimerent omnino, vel ſublevarent. Quin & Veteres etiam cum poſt hauſtam *Aquam Marinam*, accedere nonnunquam Nauſeam obſervaſſent, eam Aquam Stomacho malè convenire & nocere putabant. Sed nihilo ſecius *Salem* ejus Concoctionem adjuvare, tum Cibi Appetitum acuere, tum Secretiones quoque Glandulares adaugere, compertum habuerunt. Atque ob eam adeo Rationem Vaccis, Armentiſque ſuis dabant. [a] *Quin & Pecudes,* (Auctore *Plinio) Armentaque & Jumenta Sale maximè ſolicitantur ad Paſtum, multo largiore Lacte, multoque gratiore etiam in Caſeo Dote.*

Si quis autem ampliùs de *Sale Muriâ*que Veterum Scire voluerit, fuſiſſimæ illæ *Salmaſii* in *Solinum* Exercitationes, & *Gerræi Definitiones Medicæ*, ſatis uberem ſcrutandi Materiam ſuppeditabunt.

At mihi interim paulò inferiùs deſcendendum

a *Plin.* Nat. Hiſt. lib. 31. c. 7.

eſt,

eſt, ut Medicamenti hujus Statum, qui tunc fuerit, cognoſcamus, & quo etiam viguerit Honore ſub *Caracallæ* & *Gordiani* Imperiis, videamus.

Atque eo ferè tempore *Q. Serenus Samonicus* ille, qui jubente *Caracallâ*, Mortem obiiſſe, & ſexagena millia Voluminum, atque ampliùs etiam, ut nonnulli volunt, ſecum repoſita ſervaſſe fertur, Vir ſingulari Literarum Amore, & Patrocinio nobilitatus, claruit. Cujus deinde Filius, *Gordiani* Imperatoris, ejus Nominis ſecundi, Præceptor fuit. Horum uter de *Medicinâ* Librum iſtum poeticis Numeris concinnatum ſcripſerit, (Quæſtio jam diu multùm agitata,) neque ego dijudicare poſſum, nec ſi poſſem, ad Rem noſtram quid ſit allaturum video. Etenim hoc, ut arbitror, noſtro Propoſito ſuffecerit, ſi ex omnibus iis, qui in liberaliſſimâ hâc Diſciplinâ verſati, de eâ quidquam Literis commiſerint, *Aquam Marinam* inſigni quâdam Laude, crebroque Uſu viguiſſe comprobem.

Igitur ab *Hippocratis* Ævo, & deinceps ad *Caracallam* uſque permanſiſſe Medicamentum illud jam videbimus. Nec permanſiſſe ſolummodo, & ad illos Morbos, quos ante nominavimus, curandos, uſurpatum fuiſſe, ſed & in quampluri mis etiam Caſibus nondum memoratis adhibitum teſtatur *Serenus Samonicus*. Etenim in [a] *Phthiriaſi*, at-

a *Q. Seren. Samonic.* cap. 5. Idem cap. 6 & 20.

que

que in *Prurigine Aquam Marinam* adhibendam proponit. Et in *Morbis* etiam quibuſdam *Bilioſis*, ubi *Thalaſſomeli* quoque deſcriptum invenimus, & alibi pro Medicamento ſimpliciter Purgativo dari *Aquam Marinam* tradit. Contra etiam Teſticulos tumentes tum *Plinius*, tum *Marcellus* & *Serenus* quoque, omnes uno Ore *Aquam Marinam* collaudant. Etenim [a] *Teſtium Tumori fovendo*, (Auctore *Plinio*) *non aliud præferunt*: & *Marcello Empirico*: *Teſticuli tumentes Aquâ Marinâ rationabiliter foventur*. Atque hæc quidem prima mihi in Animum injecerunt, ut ad Teſticulos tumefactos Cataplaſma ex *Fabâ*, vel *Hordei Farinâ*, ex *Aquâ Marinâ* coctâ, cum *Unguento nutrito*, adhiberem. Idque profectò eximiâ quâdam in diſcutiendo Vi pollere comperi.

Porro autem *Samonicus* ille in [b] *Iſchiadicis* & in *Morbo Articulari* quoque, ubi *Vinum*, quod τεθαλασσωμένον vocant, deſcriptum reliquit, & contra *Quartanas* facere confirmat:

"*Prodeſt vel Potus, vel mulſus Doridis Humor.*"

Per illam autem *Dorida*, *Serenus*, *Aquam Marinam*, ſignificavit: Eodem Verbo, atque eâdem Tranſlatione uſus, quâ *Virgilius* in decimâ ſuâ Eclogâ *Maris Aquas* deſignare voluit. Quod ille, qui eâ ſemper Epithetorum Felicitate pollet, ut

a *Plin.* Nat. Hiſt. lib. 31. cap. 6. b *Q. Seren. Samon.* cap. XXXVIII.

Rerum ubique Differentias, & tanquam intimas Naturas, eorum Ope illuſtret, vel in hoc etiam Loco per adjectum *Amaritudinis*, quæ Mari quaſi propria eſt, Epitheton, ſatis demonſtrat. En ipſum Divini Poetæ Verſiculum!

"*Doris amara ſuam non intermiſceat Undam.*"

Enimvero Idem *Samonicus* [a] *Bæticum Salem* & ad Hæmorrhoïdas, & ad nonnullos Oculorum Morbos datum fuiſſe oſtendit.

Multiplices igitur, & variæ Remediorum Formulæ tum à *Sale*, tum ab *Aquâ Marinâ* quoque Origines ſuas, florente veteri Medicinâ, duxerunt. Et niſi magnam profectò in illis Vim eſſe, Antiqui, Poteſtatemque perenni quâdam Experientiâ comprobaſſent, certè ea nunquam Medicamenta ab *Hippocrate* uſque ad *Caracallæ* vel *Gordiani* Tempus per tot Sæculorum Spatia, non modò non neglecta, ſed vel culta magis, atque amplificata remanſiſſent. Sed infinita ferè Exempla Formularum ab Antiquorum Fontibus haurire, modò Res id poſtulare videretur, nequaquam difficilis, ſed & pergratus, perque jucundus eſſet Labor.

Inter autem reliqua permulta *Emplaſtrum* ex *Sale (Græci δι' ἁλῶν* vocant) à *Scribonio Largo* deſcriptum, *quod ad omnem Duritiem facere*, inquit, invenio & ſubnecto. Conficitur hoc Modo:

[a] *Q. Seren. Samonic.* cap. 65.

a *Salis*

[a] *Salis Marini, Ceruſſæ, Olei Veteris paria Pondera. Coquitur cum Oleo Ceruſſa donec coëat; & poſtea Sal admiſcetur.*

Hoc à *Græcis* fuiſſe acceptum, *Salem*que in diſſolvendis Tumoribus duriuſculis apud Veteres uſurpatum, ex præmiſſis, opinor, ſatis liquet.

Licet autem antea de *Vino*, quod τεθαλασσωμένον vocant, & *Thalaſſomelite*, & *Muriâ*, atque aliis quibuſdam Medicamentorum Formulis, quas ab *Aquâ Marinâ* & *Sale* derivatas fuiſſe judicavimus, dictum ſit, tamen & aliud quoddam Medicamen Salinum, à *Marcello Empirico* conſervatum, nobis adhuc indictum reſtat. Etenim, eo Auctore, [b] *Serum de Lacte Bubulo, adjecto Melle, & Sale quantum ſatis ſit, Potui ſumtum morantem Alvum impellit*. Et ſimile quiddam, ſed abſque Melle, apud *Hippocratem Latinum* extat.

Jamque adeo recenſui, &, ut arbitror, Tibi ſatis expoſui, *Aquæ Marinæ* Uſum apud veteres Medicos, quam ad Vaſa Lymphatica exoneranda, ad Tumores duriuſculos diſſipandos, ad Putredinem omnem; illam etiam, quam in nonnullis tum Scorbuto, tum aliis Obſtructionibus atrociter affectis invenimus, Fibrarum Putredinem reprimendam, variis Modis, Formuliſque adhibitam

a *Scribon. Larg.* cap. 86. b *Marc. Emp.* cap. 30.

fuiſſe mihi facilè concedes. Etenim adverſus Gingivarum Putredinem (quæ ſemper Affectionis Scorbuticæ magna eſt, & quaſi Diſcriminatrix Nota) *Salis* Uſum ſummopere commendat [a] *Plinius:* Et Dentes etiam neque erodi, neque Putredine vitiari putat, ſi quis *Salem* ſub linguâ contineat, omni Mane, jejunus, donec liqueſcat: quin & *Salem* paulò inferiùs Laude cumulatiori donat: *Corpora adſtringens, ſiccans, alligans, defuncta etiam à Putreſcendo vendicans, ut durent ita per Sæcula.*

Mihi igitur diu, multúmque cogitanti ſemper viſum eſt, Putredinem illam Scorbuticam, quæ Nautas diutiùs Mari Vitam agentes infeſtare ſolet, Cibis illis, quos plerumque edunt Sale conditos falſò nulloque jure attribui: & verè mihi videor hoc eſſe dicturus, *Salem* non modò Carnes ab illâ Putredine conſervare, ſed & pari Ratione Nautas quoque ab illo Statu corrupto morbidoque aſſerere. Quod ut credas, non magnopere, opinor, laborandum erit, ſi ad Agricolas pauperculos reſpexeris, quàm ſint robuſti, quàm integrâ & prope conſummatâ Valetudine effloreſcant: qui Terram ſubigunt, repoſitas Fruges conterunt, eâque Nervorum Vi pollent, ut Labores, iſtis quos Jumenta ſua obeunt, pares ferme ipſi ſubeant. Interim

a *Plin.* Nat. Hiſt. lib. 31. cap. 9.

non

non aliis, quàm & Nautæ, Cibis aluntur; imò etiam non eam habeant Varietatis Copiam, quæ Nautis contigit. Nam quocunque Te converteris, permultos in Provinciis noſtris omnibus invenies, qui non alio, per Annorum triginta continuum fortaſſe ſpatium, Cibo veſcuntur, quàm Carne vel Porcinâ vel Bovinâ, *Sale* confectâ & conditâ, & Placentis, variis fortaſſe, ſed vulgaribus. Niſi tamen, ſi quando Feſtus ſupervenerit Dies, coempto Carnis recentis Fruſtulo, luxurientur, & quaſi Genio indulgentes, læti ſolutique epulentur. Interea hi quidem Homines Familias ſuas magis robuſtas, magiſque Valetudine florentes conſervare ſolent, quàm illi, qui beatiores audiunt, Elegantiæque & Lautitiis magis indulgent.

Ergo cum Nautarum atque Agricolarum Norma & Ratio vivendi non aliâ in Re diſcrepet, quàm quod illi Exercitationis Auxilio deſtituantur, & Maris Aquis undique quaſi circumſepti Vitam agant; veriùs, opinor, aliunde & Cauſæ & Principia *Morbi* ejus *Nautici* petenda ſunt.

Concedunt omnes, opinor, eſſe terreſtrium Animalium Naturis quiddam inditum & quaſi conſeminatum, quod Vitam ſuper Aquas perpetuò peractam nullo Modo patiatur: perinde ut neque Piſces, nec id Genus Animalia, quæ *Amphibia* vocantur, & utramque Naturam partici-

pant

pant, eâ ipſâ Aquâ ſemper, abſque Vitæ Jacturâ, privari poſſunt. Quid? quòd & graves quidam Morbi Locorum uliginoſorum & paluſtrium Incolas, eoſque etiam Homines, qui fundos depreſſos, humidos, & Sylvis denſis obſitos habitant, præcipuè ſub Veris atque Autumni Æquinoctia corripere ſolent. Quod nobis luculenter indicat, quàm ſit Naturæ Hominis alienum *udo ſub Jove*, quod aiunt, diutiùs verſari, quantumque ab eo quaſi abhorreat; quippe quia exinde Fibrarum Tonus humectatus & relaxatus, magnam Debilitationem patitur. Enimvero ſub id Tempus, Æquinoctium puta tam Vernum, quàm Autumnale, Sol eâ Caloris Vi pollet, quæ Telluris Exhalationes uberrimas ſurſum faciat aſſurgere; ſed nondum tamen tam diu ſupra Terram moratur, Cœlumque calefacit noſtrum, quàm ſufficiat iſtis Exhalationibus vel ſatis ſupra nos elevandis, vel attenuandis, ita ut Ventorum Ope diſſipari ſtatim atque abripi poſſint. Itaque condenſantur iterum, & in Vapores & Nebulas humidas converſæ, ſupra Terram aliquantùm pendent, Incolaſque quaſi circumcingunt. Exinde autem relaxantur eorum Fibræ, & Solidorum Tonus ita frangitur & debilitatur, ut Fluida neque debitâ Vi comprimere nec ſubigere poſſint. Sed is demum Sanguinis Status ſupervenit, quem Febres intermittentes comitari ſolent. Proinde

paula-

paulatim Hominem infeſtant & Gingivarum Putredo quædam Scorbutica, & Maculæ tandem Scorbuticæ, & Crura quoque tumefacta. Nec deſunt mihi ægrorum quorundam Exempla, quibus Solidorum Tonus adeo fuit immaniter infractus, & Sanguinis juſta Craſis in tantum vitiata, ut à ſummis Digitis nonnunquam Sanguinem ſatis uberi Copiâ prorumpentem viderim: iſque non niſi cum magnâ Difficultate reprimi potuit.

Atque Ego multis quidem, &, ut puto, magnis adducor Argumentis, ut credam eos Morbos Fibrarum Tono relaxato Principia & Origines ſuas debere.

Primò, quia neque Morbus ita ſolet immaniter ſævire, nec ad tantam, ut ita dicam, ἀκμὴν aſſurgere, niſi ubi Solidorum Vis Inveteratione Mali antea fuerit fracta. Natura enim, diu quidem, quantum poteſt, Vim ſuam creſcenti Malo opponit, ſed paulatim tamen coacta recedit.

Secundò, quia ubicunque in iſtis Rerum Aſperitatibus Æger verſatur, Curatio non niſi poſt Aſtringentium Opem perfici ſolet. Dantur enim vel *Cortex Peruvianus*, vel *Winteranus*, vel *Acida* quædam, vel *Vitriolica* Medicamenta: vel *Chalybis* Formulæ quædam *Stypticæ*, vel *Vina Styptica*, vel ejuſmodi aliquid. Necnon & Fructus etiam ſubacidos, nondumque maturos, haud ita abſimili Ratione, contra Scorbuticos affectus valere

lere cernimus: utpote qui & aſtringunt, & detergent.

Poſtremò autem, quia perpetuâ Experientiâ conſtat eos quidem Homines, qui ad Mare habitant, ubi nec immundum eſt Littus, nec fœdâ Portuum & Æſtuariorum Illuvie ſordet, nec Incolæ crebris Vaporibus, udiſque Nebulis quaſi circumretiuntur, eſſe plerumque tum ab Intermittentium Febrium Metu, tum à Scorbuti Inſultibus magis immunes, quàm ii ſunt Homines, qui denſis Sylvarum Latebris obſiti, Terram depreſſiorem atque uliginoſam, licet mediterraneam, incolant.

Atque ita quidem, ſi Corpus Humanum diutiùs in Aere ponatur humido, quem neceſſe eſt ut ſingulis Reſpirationibus hauriat, perque omnes Cutis Poros attrahat atque abſorbeat, ſeu Mari, ſive in paluſtribus, ſive ſylveſtribus Locis vivatur, eadem hæc tandem Symptomata, quæ in Nautis *Scorbutica* vocantur, ſubnaſci cernimus. Quippe minor paulatim fit, & ſupprimitur Perſpiratio; tum in Poris omnibus Obſtructiones ingraveſcunt; tum Cutis Glandulæ, vel univerſum potius Glandularum Syſtema, aliquantulùm affici ſolet. Namque Imminutâ Perſpirationis Copiâ, majus ſtatim illas urget Onus. Et quidem Diei naturalis Spatio, Quinquagenæ, ſi *Sanctorio Italo* auſcultes, Unciæ perſpirando tranſmittuntur. Sed

Noſter

Noſter ille D. *Keil* in Libro de *Medicinâ Staticâ Britannicâ*, triginta tantùm Uncias, vel circiter, apud nos per Cutim evacuari putat. At ſi reprimatur Perſpiratio, neceſſe eſt, ut pro Tempore Corpus Ægrotet; ut vel poſt Frigus leviter ſuſceptum fieri ſolet; ubi non niſi per Aeris magis calidi, magiſque ſicci Auxilium, auctamque proinde Perſpirationem Ægritudo evaneſcit. Sed id quidem Auxilii, ut & Exercitatio quoque Nautis ſæpenumero deeſt; atque exinde fit, ut Morbus aliquando nullâ Medicamentorum Vi coerceri poſſit, donec Ægroti Aere ſicciori perfruantur. Et profectò quantam hujuſce Morbi Pertinaciæ Vim, & quaſi Suppetias afferat, ſi, pendente Curatione, Nauta in Navigio verſetur, tum in Libro ſuo nuper edito ſignificare videtur Auctor *Navigationis* Nobiliſſimi Dom. *Anſon*, tum quotidiana etiam Experientia comprobat. Namque & faciliùs & citiùs reſtitui, atque extra Aleam omnem poni ſolent, ſi è Mari deſcendant; ubi & ſiccior eſt, quem perſpirant, & commodior Aeris Status.

Cujus Rei Ratio *Norvegiæ* quoque Incolis nota eſt, & in Scorbuti Curatione apud eos obſervari ſolet. Sæpe enim ubi Scorbuto laborat Æger, (quod in ſuo ſcribit de *Medicinâ Danorum domeſticâ* commentario *Bartholinus*,) non Mori Fructus evellunt, & Ægris Domum adportant; ſed

ſatiùs eſſe putant, ut ad Loca, ubi naſcuntur illæ Arbores, ſeſe conferant, quò & ſe Fructu, quantùm velint, expleant, & in illis Locis immorentur, donec evaneſcat Scorbutus.

Effudi Tibi, Ornatiſſime Vir, omnia ferè, quæ *Aquam Marinam Salem*que contra Putredinem facere Veteres ſentiebant: quæ tamen quibuſdam fortaſſe plura, ſed & aliis pauciora quàm quæ Res poſtulat, videri poſſint. Sed Tu ſaltem, qui & Candore Animi, atque Humanitate abundas, in Viâ difficili, nondumque ſatis exploratâ facilè Veniam labanti dabis.

Sed quid illæ Auctoritates Veterum valeant, & quàm ferè nihili ducendæ ſunt, ſi cum iſto, quem in hâc Re Tute Ipſe habes, ſingulari Uſu atque Experientiâ comparentur? vel quid ea Defunctorum Teſtimonia, ſi cum hodie Viventium, qui *Aquam Marinam* quotidie bibunt, millenis Exemplis conferantur? qui quidem niſi eam optimè reſpondere comperiſſent, dudum certè neglexiſſent.

Mitto Tibi præterea Hiſtoriam Curationis non ita pridem peractæ. Invenies ibi Ægrotam *Aquâ Marinâ* diutiſſimè purgatam: quippe quæ ℔j omni Mane continuâ quâdam Serie bibit, donec Congios viginti & quinque, Quantitatem profectò immanem, conſumſerat. Atqui exinde Scrophula,

phula, quâ laboraverat, ſenſim evanuit: Valetudo etiam undequaque melior & firmior.

Atque hæc quidem Argumenta omnium, Bonorum certè, Præjudiciis tollendis ſufficiant. Namque illud quæri debet, utrum in Morbis quibuſdam proſit Medicina quædam, necne? neque Medicum tam oportet in obſcuris & reconditis Morborum Cauſis & quaſi Fontibus inveſtigandis hærere atque immorari, quàm quod ipſis vel minuendis, vel tollendis conducere viderit, amplecti; & ſecum reputare, [a] *has latentium Rerum Conjecturas ad Rem non pertinere*; *quia non interſit, quid Morbum faciat, ſed quid tollat.* Vale.

[a] *Celſ.* Præf. lib. 1.

Errata graviora.

P. 20. l. 10. lege habitus. 21. 11. l. tumori. 29. 20. l. glandulis. 31. 13. l. circulationi. 58. 17. l. perpetuò. 69. 22. l. *panos*. 72. 3. l. *Garidelius*. 77. 1. pro ita, l. ibi. 128. 10. l. curare. 138. 3. l. larga. 146. 1. l. eſcharam. 191. 2. l. quantitatem. 191. 3. l. pertimeſcenda. 184. 22. l. intra. Ib. 25. l. sub mento. 187. 27. l. Potionis. 185. 22. l. peritiſsimo. ~

b/n